HOMINUM LITTERATORUM GRAECORUM

ANTE TIBERII MORTEM


IN URBE ROMA COMMORATORUM

HISTORIA CRITICA

SCRIPSIT

ALFREDUS HILLSCHER.

COMMENTATIO EX SUPPLEMENTIS ANNALIUM PHILOLOGICORUM SEORSUM EXPRESSA.



LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCXCI.

PAGINARUM NUMERI SUNT SUPPLEMENTI OCTAVI DECIMI ANNALIUM PHILOLOGICORUM.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

Graecia capta ferum victorem cepit et artes
Intulit agresti Latio.

Versum Horatianum inscripsi opusculo, quoniam viros tractaturus sum Graecos doctos, qui intulerunt artes Romae urbi et commorantes ibi colendas eas augendasque curaverunt. Quamquam enim ipsam petere Graeciam, e fontibus ut haurirent litterarum Graecarum scientiam, nunquam desierunt Romani adulescentuli viri senes Athenis Rhodi alibi claros audientes philosophiae rhetoricae grammaticae artis professores, tamen mox Roma urbs muris recipere coepit Graeculorum greges in dies maiores e bellis contra Antiochum et Mithridatem gestis, deinde in Caesaris Pompei Octaviani expeditionibus undique concurrentes. Permulti captivi facti expugnatis oppidis atque a nobili aliquo Romano in Italiam deducti postea παιδείας ἕνεκα manumittuntur [1]). Alii alio modo arcessiti voluntarii Romam migraverunt ibique artem quam quisque noverat (nec paucae saepe erant in uno) [2]) docebant. Quin immo anno iam a. C. 166 Polybius dicere potuit Scipioni duodeviginti annorum adulescentulo eiusque fratri haec: περὶ μὲν γὰρ τὰ μαθήματα, περὶ ἃ νῦν ὁρῶ cπουδάζοντας ὑμᾶς καὶ φιλοτιμουμένους οὐκ ἀπορήσετε τῶν συνεργησόντων ὑμῖν ἑτοίμως καὶ σοὶ κἀκείνῳ· πολὺ γὰρ δή τι φῦλον ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος ἐπιρρέον ὁρῶ κατὰ τὸ παρὸν τῶν τοιούτων ἀνθρώπων [3]): quinque annis post senatusconsultum illud

1) Quos contulit Hermippus Berytius in libro περὶ τῶν διαπρεψάντων ἐν παιδείᾳ δούλων, unde nonnulla excerpta confusa corrupta per Hesychium Milesium in Suidam pervenerunt, v. Wachsmuth de fontibus, e quibus Suidas in scriptorum Graecorum vitis hauserit, Symb. philol. Bonn. p. 140 sqq. Praeterea eidem Hesychio, ut videtur, ante oculos fuit libellus περὶ τῶν ἕως Τραϊανοῦ τοῦ Καίσαρος ἐν Ῥώμῃ παιδευσάντων (v. Suid. s. v. Ἀρχίβιος), cuius scriptorem fuisse Philonem Byblium Traiani aequalem et alii ostenderunt et Daubius de Suidae Biographicorum origine et fide, Annal. phil. Suppl. XI. (Lips. 1880) p. 431 sqq.

2) Iuvenal. III, 74 sqq.

Ede quid illum
Esse putes? quemvis hominem secum attulit ad nos:
Grammaticus rhetor geometres pictor aliptes
Augur schoenobates medicus magus: omnia novit
Graeculus esuriens: in caelum, iusseris, ibit.

3) Polyb. XXXII, 10. V. de hoc loco etiam infra p. 357 sq.

factum est de philosophis et rhetoribus *„uti Romae ne essent“* [1]), cum iam antea a. C. 173 Epicurei duo, Alcius (sive Alcaeus) et Philiscus ex urbe essent eiecti [2]): irrita tamen haec omnia, nam longius latiusque urbem inundabat flumen illud non iam sola e Graecia, sed etiam totius ex Asiae oppidis ita confluens, ut Strabo [3]) de Tarso dicere posset: . . μάλιςτα δ᾽ ἡ Ῥώμη δύναται διδάςκειν τὸ πλῆθος τῶν ἐκ τῆςδε τῆς πόλεως φιλολόγων· Ταρςέων γὰρ καὶ Ἀλεξανδρέων ἐςτὶ μεςτή. Nolo alia afferre testimonia, quoniam satis res constat: omnes enim fere viri nobiles Romani suam quisque Graeculorum catervam secum habebant servorum libertorum amicorum.

Quos omnes philosophos rhetores grammaticos poetas alios scriptores conlectos posse inveniri, nonnullos tenebris occultatos perpetuaque paene obrutos oblivione ad lucem retrahi cum frustra adhuc desideraretur, exercere vires in his campis vastis admodum et amplis hortantibus praeceptoribus sum conatus. Seligi tamen posse ita videbantur philosophi (quippe qui nacti sint sospitatorem Zellerum in historiae philosophiae Graecae parte ea, qua describit apud Romanos versantem) [4]), ut insererentur tamen nomina eorum indici, quem in fine addam. Conlegi igitur grammaticos rhetores poetas scriptores ceteros usque ad Tiberii mortem Romae commoratos et percensui: sed nominare satis erit suo loco viros notissimos, velut Polybium, de quibus quae habemus multorum virorum doctorum cura et labore comperta, repetere nolo. Ordinem temporum ratione datum sequar. Atque iam ab initio discernere et separare rhetores grammaticos alios scriptores propter nominum paucitatem non opus est neque commendatur. Crescente demum silva post tempora Sullana distinguere inter artes, quam quisque professus est, aptius erit. Finem facient poetae.

I.

De primo, qui Romam venisse dicitur, hominum Graecorum inlustrium **Hermodoro Ephesio** [5]) Heracliti amico nuper denuo disputavit Steinhausenius [6]), cuius sententiam sagaciter explicatam

---

1) V. testimonia veterum apud Brunsium Font. ant. iur. Rom.[5] p. 157.

2) V. Zeller Gesch. d. gr. Phil. III[3], 1. p. 372. n. 1 et quae infra de Alcaeo Messenio poeta disseram.

3) XIV. p. 675.

4) III[3], 1 inde a pagina 531 in adnotationibus potissimum de singulis quae sciuntur congerens.

5) Strabo XIV. p. 642. Plin. H. N. XXXIV. §. 21. Pompon. Dig. I, 2, 4.

6) De legum XII tabularum patria, diss. Gryph. 1887. p. 10—12. 15—18. Deest inter testimonia Epistula Pseudo-Heraclitea 8 (aevi christiani, ut ostendit Bernaysius in ed. p. 85. 112). Praeterea de Varrone a Plinio exscripto conferendus etiam est Urlichs Die Quellenregister zu Plin. letzten Büchern, Virceb. 1878. p. 10. Ipsi Steinhausenii argumentationi unum addo: ‘novisse Ciceronem statuam Hermodori’ minime

meam facio: dico fabulis adscribendum esse Hermodorum legum XII tabularum auctorem.

Plana iam in luce versatur **Cineas** ille, qui Pyrrhi regis legatus a. C. 280 Romam missus est[1]). Summus inter aequales orator Demosthenis imaginem audientibus revocare videbatur[2]) pluresque civitates Cineam orando quam ipsum bellando sibi subiecisse praedicabat Pyrrhus. Cum ipsum Demosthenem ab eo auditum esse Plutarchus expressis dicat verbis Δημοσθένους δὲ τοῦ ῥήτορος ἀκηκοώς, circa annum 340 natus sexagesimum fere annum egit Cineas legatus. Tum primam patres audiverunt orationem Graeca arte compositam et expolitam: movisse Cineam audientium animos ac paene flexisse ostendere videntur, quae de Appio Claudio narrantur.

Post bellum Punicum secundum, quo

„Musa pinnato gradu
Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram“[3]),

iam domi apud nobiles Romanos versantes videmus Graeculos: etiam M. Porcius Cato, quamquam ipse filium γράμματα docebat, χαρίεντα δοῦλον εἶχε γραμματιστὴν ὄνομα ***Χίλωνα*** πολλοὺς διδάσκοντα παῖδας[4]). Clarissime vero in historia Graecarum litterarum Romae florentium elucet nomen L. Aemilii Paulli viri maxime φιλέλληνος, cuius circa filios iam ante bellum Macedonicum Romae versabantur οὐ μόνον γραμματικοὶ καὶ ῥήτορες ἀλλὰ καὶ πλάσται καὶ ζωγράφοι καὶ πώλων καὶ σκυλάκων ἐπιστάται καὶ διδάσκαλοι θήρας[5]) Ἕλληνες[6]). Iam bello confecto de praeda nihil nisi bibliothecam Persae regis sibi sumpsit filiisque donatam[7]) primam in urbem attulit[8]), et in eius triumpho prid. Kal. Dec. a. C. 167 ἤγοντο τὰ τέκνα τοῦ βασιλέως δοῦλα καὶ σὺν αὐτοῖς τροφέων καὶ διδασκάλων καὶ παιδαγωγῶν ὄχλος[9]). Haud dubie alios quoque tunc ultro sequentes Romam transduxit Graecos homines litteratos, quamquam unus tantum nominatur, **Metrodorus** philosophus idem et pictor[10]). Ad haec omnia spectant verba supra iam allata, quae anno post quam

---

necesse est, cum scribat Plinius (Varro): „*fuit et statua Hermodori*“: periisse videtur iam ante Varronis tempora.

1) Cf. Mommsen Röm. Gesch. I^6. p. 398.

2) Plut. Pyrrh. 14, unde sua habet Dio fr. 40, 5 (I. p. 58 Dind.) et fr. 40. 41 (I. p. 66 D.).

3) Porcius Licinus apud Gellium XVII, 21, 45.

4) Plut. Cat. mai. 20.

5) Scipio adulescens venationis erat amantissimus, v. Mommsen R. G. II^6. p. 82.

6) Plut. Aemil. P. 6.

7) Plut. l. l. 28.

8) Suet. de vir. ill. 103. p. 130 Reiff.

9) Plut. l. l. 33.

10) Cf. Zeller. l. l. III^3, 1. p. 525 et 533.

ipse cum popularibus obses Romam venerat Polybius dixit Scipioni adulescentulo: πολὺ γὰρ δή τι φῦλον ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος ἐπιρρέον ὁρῶ κατὰ τὸ παρόν.. Nec minus patre φιλέλλην filius: testes surgunt **Polybius Panaetius Terentius,** suavissimi Scipionis συμβιωταί.

Tredecim iam annis ante clarissimam illam trium philosophorum legationem a. C. 156 [1]) Romam venit et ipse legatus grammaticae artis in urbe conditor **Crates Mallota** Pergamenus [2]), de quo ad egregiam Wachsmuthii dissertationem [3]) lectores ablego, unum additurus. Admodum enim dubia est Bergkii coniectura in Anecd. Paris. [4]) „*Varguntelus*" reponentis pro corrupto „*Varros*" (u supra) [5]), qua utitur vir doctissimus [6]), ut demonstret nos etiam videre posse, quomodo Cratetis exemplum teste Suetonio imitati sint grammatici Latini. Praeterea ibidem Probus confertur cum Aristarcho, et toto loco de Aristophanis Aristarchi Alexandrinorum notis criticis, nusquam de Pergamenorum fit sermo. Attamen cognosci posse vestigia Crateteae doctrinae apud istos grammaticos Romanos puto. Scimus enim e Suida [7]) fecisse Cratetem διόρθωσιν Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσείας ἐν βιβλίοις θ′. Quae de commentario, non de editione intellegi cum aliis vult Wachsmuthius, numerumque θ′ compendio non novem, sed octo significari inde suspicatur, quod Musarum numerum respexisse Cratetem atque octo tantum eas esse ex illius sententia existimat. Leguntur enim apud Arnobium [8]) haec: „*Ephorus has igitur (Musas) tris effert, Mnaseas quattuor, Myrtilus inducit septem, octo adseverat Crates, ad extremum Hesiodus novem cum nominibus prodit*" [9]). Sed quoniam decem novimus Cratetes e Diogene Laertio IV, 6, fragmentum auctoris est prorsus incerti [10]), et quaeritur, fue-

---

1) De qua v. Zeller II³, 2. p. 928. n. 1.

2) Suet. gr. 2.

3) De Cratete Mallota, Lipsiae 1860.

4) Sueton. ed. Reifferscheid p. 138.

5) Haud dubie de vetustiore aliquo grammatico cogitandum est. Sed certi quicquam ad sananda verba: '*Varros hennius*' (u supra) praestari vix posse monuit Marxius.

6) L. l. p. 6.

7) S. v. Κράτης Τιμοκράτους.

8) Adv. nat. III, 37.

9) Myrtilum esse Lesbium paradoxographum docet fragmentum apud Clementem Alexandrinum (Protr. 19 D = fr. 4 Mueller F. H. G. IV, 457: idem extat in Crameri Anecdot. Oxon. I. p. 285). De Mnasea (Patrensi) discrepat Arnobius a Schol. Il. B 671 in Crameri Anecd. Ox. I. p. 277, ubi ille tres numerat Musas.

10) Si verum est, quod coniecit Orellius (ad Arnob. p. 168) ortam esse hanc Cratetis de Musis opinionem e Platonis de harmonia sphaerarum sententia (de rep. X. p. 616), fortasse hic Crates Platonicus potius fuit ille philosophus, Polemonis successor, Crantoris condiscipulus. Idem fortasse est, a quo Heracliti librum in Graeciam translatum esse narrat Seleucus ap. Diog. Laert. IX, 12, nisi ibi Κράτυλον restituendum est,

rintne octo an novem libri. Διόρθωϲιϲ est recensio[1]), verba autem sicut leguntur διορθ. Ἰλιάδοϲ καὶ Ὀδυϲϲείαϲ ἐν βιβλίοιϲ θ′, numerus ut de totius Homeri recensione intellegatur, flagitant: quapropter aptius de octo libris cogitatur, ut quaterni fuerint Iliadis et Odysseae. Sed cum nimis ampli sic esse videantur singuli libri, parum accuratam esse puto lexicographi relationem, cum bis adiecto signo θ′ scribere debuerit: δίορθωϲιν Ἰλιάδοϲ ἐν βιβλίοιϲ θ′ καὶ διόρθωϲιν Ὀδυϲϲείαϲ ἐν βιβλίοιϲ θ′, i. e. divisam esse et Iliadem et Odysseam a Cratete in libros novenos; quae sententia quo magis respiciuntur aliorum scriptorum opera similiter secundum Musarum numerum divisa nominibusque earum inscripta[2]), eo magis probanda videtur. Utut haec se habent, certe respuit Crates dividendi rationem ab Alexandrinis adhibitam, quam quin cognoverit vix est dubitandum. Iam iterum legas verba Suetonii[3]): „*ac nostris exemplo fuit Crates ad imitandum: hactenus tamen, ut carmina parum adhuc divolgata ... diligentius retractarent ac legendo commentandoque et ceteris nota facerent: ut C. Octavius Lampadio Naevii Punicum bellum, quod uno volumine et continenti scriptura expositum divisit in septem libros, ut postea etc.*“. Hanc Naeviani carminis partitionem, quam Santra quoque[4]) testatur, factam esse puto e Cratetis Homerum dividentis imitatione. Quod septem sunt, non novem libri, noli obvertere, quoniam ipsa divisio est, qua imitatur Romanus grammaticus Pergamenum, diversus autem numerus facile explicatur ex hebdomadum illa ratione, quae his temporibus in deliciis haberi coepta floruit apud Varronem. Nec minus apte huc referri puto, quod de Aurelio Opillo idem tradit Suetonius[5]): „*composuit variae eruditionis*[6]) *aliquot volumina, ex quibus novem unius corporis: qui*[7]), *quia scriptores ac poetas sub clientela Musarum iudicaret*[8]), *non absurde et fecisse et inscripsisse*

---

quem primum novimus in ipsa Graecia Heracliteum philosophum, Platonis magistrum.

1) Quae alibi laudantur a scholiastis (locos vide apud Wachsmuthium l. l.) Cratetis Διορθωτικά vel Ὁμηρικά seiungenda esse puto ab ipsa recensione. Etiam Aristarchum non in editionibus parandis substitisse, sed praeterea commentationes Homericas scripsisse omnibus notum est.

2) De quibus v. p. 360. n. 1.

3) Loco in p. 358. n. 2 laudato.

4) Apud Nonium p. 170, 21. Quem etiam Suetonii hac in re auctorem fuisse crediderim: nominatur ab eo (§. 1. p. 3 R.) inter Varronem et Cornelium Nepotem, cf. infra p. 374.

5) Gr. 6.

6) De voce „*indutiae*“ 'Musarum' eius liber primus laudatur a Gellio I, 25, 17.

7) Hoc „*qui*“, quod praebent libri, male omittitur a Reifferscheidio Ernestium secuto.

8) „*Esse*“ supplendum est, neque intellegi posse verba puto sicuti intellexit Usener (Dionys. Halic. de imit. p. 135), qui de amplissima rerum copia exhaurienda nobilibus grammaticis Alexandrinis locutus haec dicit: „neque mirum, quod Aurelio Opillo libri, quibus „*scriptores ac*

se ait ex numero divarum et appellatione". Ultima haec sunt verba excusantis quodammodo novam rem et inusitatam[1]).

A Pergamenis igitur primam acceperunt Romani artis grammaticae notitiam acceptamque diu tenebant[2]), cum saeculo fere demum post primos videamus Alexandrinos grammaticos in Urbem venire. Etenim **Dionysium Thracem** Romae docuisse male olim credebatur Suidae haec exhibenti: Διονύσιος Ἀλεξανδρεύς, Θρᾷξ δὲ ⟨καὶ⟩ ἀπὸ τοῦ πατρὸς Τήρου Τῆρος τοὔνομα κληθείς[3]), Ἀριστάρχου μαθητὴς γραμματικός, ὃς ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Πομπηίου τοῦ μεγάλου καὶ ἐξηγήσατο Τυραννίωνι τῷ προτέρῳ· συνέταξε δὲ κ. τ. λ. Iure offenderunt viri docti in temporis nota[4]). Quamquam enim incerta sane sunt apud Suidam indicia temporum inde a Ptolemaeo Euergeta II (146—117) usque ad Augustum, cum συγχρονισμός solummodo significetur Sullae Pompei Ciceronis Antonii[5]), et quamquam nonnullos quidem ultimos vitae Dionysii annos credere possumus concidere cum primis Pompei, tamen non ferendus est συγχρονισμὸς ἐπὶ Πομπηίου τ. μ. in homine, cuius ἀκμή incidit iam in regnum

---

poetas sub clientela Musarum iudicabat" in Musarum numerum excrevisse", et sic Latinum hunc grammaticum aemulum quodam modo facit Aristophanis Byzantii.

1) Prorsus est ignotum, quis fuerit et quando vixerit, cuius Marxius me commonefecit, Bianor iste ῥητορικός, οὗ φέρεται ἐννέα βιβλία Μουσῶν ἐπιγραφόμενα (Diog. Laert. IV, 58). Herodoti quoque opus Musarum nominibus inscriptum esse a grammaticis notum est. Pergamenos Herodoto operam navasse lapis testis est nuper inventus, in quo legitur Herodoti nomen subscriptum olim imagini historici in bibliotheca positae (v. Conze Sitz.-Ber. d. Berl. Akad. 1884. p. 1261 et in Jahrb. d. königl. preufs. Kunstsamml. III. p. 87): quae suppeditavit mihi Maassius. Alia similia attulit Vossius de hist. gr. I, 3. Quibus addo τὴν ἐννεάδα Σαπφοῦς in epigrammate Tulli Laureae, Ciceronis liberti A. P. VII, 17 et Heracliti librum a quibusdam Μοῦσαι inscriptum (Diog. Laert. IX, 12) divisumque in partes tres (ibid. 5).

2) Quamquam per Stilonem, qui eam Rhodi, fortasse a Dionysio Thrace (vel Romae a Panaetio secundum sententiam Susemihlii) accepit, iam circa annum a. C. 100 Aristarchi quoque cognoverunt doctrinam et notas (cf. Marx in indice lectt. Rostoch. 1888/89. p. 10).

3) Verba, quae corrupta putat Maur. Schmidtius (Philol. VII. p. 36) sana sunt, modo inseras cum Marxio ⟨καὶ⟩ ante ἀπὸ et conferas, quae de aliis viris e patris nomine cognominatis monuit Dielesius, Doxogr. Gr. p. 86. Dionysius Ἀλεξανδρεύς vocatur ut Aristarchi (qui ipse oriundus erat e Samothrace insula) discipulus, Θρᾷξ autem cognominatus est (τοὔνομα κληθείς = „*cognomento Thrax*": Serg. in Donat. G. L. IV. p. 529 K.) e patria, Τῆρος e patre, qui nomen habuit Thracum regis illius fabulosi Τήρης (Herod. IV, 80 — Thucyd. II, 29, ubi genetivus legitur Τήρεω, Xenoph. Anab. VII, 5, 1, ubi genetivus Τήρους). Nomen est barbarum, quare non miramur variantem eius apud Graecos scriptores formam.

4) Reinesius scripsit Ῥόδῳ pro Ῥώμῃ allatis testimoniis ipsius Suidae s. v. Τυραννίων et Athenaei XI. p. 489 a, quibus addendum est illud (fort. Varronis) apud Sergium in Donat. G. L. IV. p. 529 K.: at non sufficit haec mutatio.

5) Cf. Rohde Mus. Rh. XXXIII. p. 168. n. 6.

Ptolemaei illius Euergetae, quo lexicographus ad tempora definienda utitur. Quapropter probanda est mutatio Clintonis, qui enuntiatum relativum ὃς ἐσοφίστευσεν — μεγάλου transponit post Τυραννίωνι τ. π. Sed desideratur necessaria temporis, quando Dionysius ipse floruerit, locique, ubi docuerit, mentio. Quare excidisse utrumque inter verba γραμματικός et καὶ et sic fere scribendum esse opinor: Ἀριστάρχου μαθητής, γραμματικός (ὃς ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥόδῳ ἐπὶ Πτολεμαίου ζ′) καὶ ἐξηγήσατο Τυραννίωνι τ. πρ., ὃς ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Πομπηίου τ. μεγάλου[1]).

Praetereo grammaticum **Isocratem**, qui a. C. 160 una cum Leptine Cn. Octavii interfectore a Demetrii Syriae regis legatis senatui traditus est, quia caedem illam publice laudaverat, et qui neglecto prorsus corporis habitu capta mente horribile praebuit Romanis spectaculum hominis ad bestiae naturam delapsi[2]). Praetereo **Eudemum,** qui a. C. 133 Attali testamentum Romam attulit[3]), quoad video, aliunde non notum.

Iam ad tempora Grachorum descendimus. Horum de magistris quae scimus Ciceroni debentur et Plutarcho. Dicit ille[4]): „*fuit* (*Ti.*) *Gracchus diligentia Corneliae matris a puero doctus et Graecis litteris eruditus. Nam semper habuit exquisitos e Graecia magistros, in eis iam adolescens Diophanem Mytilenaeum, Graeciae illis temporibus disertissimum*". Tiberius natus est 163, certe igitur 145 iam Romae docuit **Diophanes**, et cum eum una cum discipulo periisse sciamus[5]), plus duodecim annos ibi versatus est. Φυγὰς ἦν Μυτιληναῖος, rerum publicarum ut videtur commutatione patria expulsus[6]). Hic una cum Blossio Cumano philosopho, Antipatri Tarsensis stoici amico[7]), Gracchum impellebant haesitantem, unde haud exiguum valuisse apud discipulum utriusque praeceptoris auctoritatem cogno-

---

1) Facile scribentis oculus aberrare potuit a priore ὅς ad alterum. Apud Isidorum (Origg. I, 16): „*Dionysius Lintius* (sic codd.) *syllabarum omnium singulas formas aptissimas fecit et ob id statua honoratus est*" de Thrace agi ego quoque censeo, cum spectare mihi haec videantur prosodias, quas „*tres tradidit* (Dionysius Thrax), *quibus nunc omnes utuntur* βαρεῖαν ὀξεῖαν περισπωμένην". (Serg. in Donat. G. L. IV. p. 528 sq. K.). Quid autem sibi velit „*Lintius*", diiudicare nequeo. „*Lindius*" restituendum esse putat editor Arevalius, „*Olynthius*" coniecit Schmidtius l. l. p. 302. Et illud quidem non displicet, quoniam cogitari potest ipsum Dionysium non natum esse in Thracia, sed alibi, quo pater emigraverit, — Rhodi si vis, in oppido Lindo. Vocatur enim alibi Rhodius (cf. Strab. XIV. p. 655), hic Lindius. Bene sic intellegimus, cur Rhodum potissimum petiverit Dionysius Alexandria scholam translaturus.

2) Polyb. XXXII, 6, 4, unde pendet Diod. XXXI, 29.

3) Plut. Ti. Gracch. 14.

4) Brut. 27, 104.

5) Plut. l. l. 20.

6) Plut. l. l. 8. Cf. Cichorius Rom und Mytilene p. 4.

7) De quo v. Zeller III^3, 1. p. 534.

scere licet[1]). Alter, qui nominatur, est **Menelaus Marathenus**[2]); de hoc legimus apud Ciceronem[3]): „*nec de Persio reticuisset Gracchus, cum ei Fannius de Menelao et ceteris obiecisset* (scil. *orationes eius ab his esse factas*)". Alibi non commemoratur. Cornelia ipsa etiam post filiorum necem vitam degit litteris datam, ἀεὶ Ἑλλήνων καὶ φιλολόγων περὶ αὐτὴν ὄντων[4]).

Huic aetati suppares fuerunt **Artemidorus Ephesius** geographus et **Daphnis** grammaticus. Artemidorum[5]) quondam a civibus suis Romam missum esse ad agendam causam de Dianae templo narrat qui saepe eo utitur Strabo[6]): rhetor igitur videtur idem fuisse. Floruit circa annum a. C. 100 teste Marciano Heracleota[7]). Quando Romam venerit, non dicitur neque veri simile est, ut diu ibi manserit. Daphnis servus, „*quem † Levius*[8]) *Melissus per cavillationem nominis* Πανὸς ἄγαπημα *dicit*", a Q. Lutatio Catulo septingentis milibus nummum emptus et brevi manumissus est[9]). Teste Plinio[10]) ab initio fuerat servus ac discipulus Acci, qui eum M. Scauro „*principi civitatis*" (erat a. C. 115 consul et princeps senatus) vendidit. Temporum rationes recte computavit Detlefsenus[11]).

---

1) Plut. l. l. 8. Verum quae homo Neo-graecus Marcus Renieris sibi finxit in libello περὶ Βλοσσίου καὶ Διοφάνους ἔρευναι καὶ εἰκασίαι, usos esse Graeculos istos praesertim philosophum Graccho ad efficiendam civitatis imaginem, qualem ipsi perfectissimam mente complectebantur, nimias esse εἰκασίας recte iudicarunt Zeller l. l. et Heinzeus in Bursiani Annal. I. 1873. p. 192 sqq.

2) In Maratheni cognomine haesit Blassius (Gesch. d. gr. Beredsamk. von Alex. bis Aug. p. 88. n. 2) quia Marathus Syriae oppidum Strabonis aetate esset diruta (XVI. p. 753), Phocidis autem ὁμώνυμον oppidulum obscurum fuisset. Utraque causa nulla est. Etenim et ex vico obscuro nasci possunt viri clarissimi (quamquam ego quoque Syrum fuisse puto Menelaum) et Syriae Marathus nonne potest deleta esse post Menelai et ante Strabonis aetatem ut alia Syriae oppida (Gadaram commemoro) bello Mithridatico altero?

3) Brut. 26, 100.

4) Plut. C. Gracch. 19, 2.

5) De quo egit Stiehle in Philol. XI. p. 193 sqq.

6) XIV. p. 642. cf. Stiehle l. l. et Niese Mus. Rhen. XXXII. p. 282—300.

7) Geogr. Gr. min. ed. Mueller I. p. 566.

8) H. e. Laevius, Erotopaignion poeta, si credere vis Buechelero Mus. Rh. XLI. p. 11; at quominus ei adsentiar prohibet Melissi nomen. Nec magis placet Gaius praenomen, quod proposuit Vahlenus (ind. lectt. Berol. 1877/78. p. 8. not.) de Maecenatis hoc scribere opinatus Suetonium liberto iocoso (de quo v. Iahn. Prolegg. in Pers. p. CXLIII, 2). Ipse restituere velim „*Aelius Melissus*", quem grammaticum novimus e Gellio XVIII, 6 aequalem fere Suetonii, unde fortasse melius explicatur praesens „dicit".

9) Suet. gr. 3.

10) H. N. VII. §. 128. Quem locum egregie sanavit Detlefsen Mus. Rh. XVIII. p. 236.

11) L. l.

H. Peter[1]) num unius sint Lutatii consularis opera eius nomine tradita dubitans *Communium historiarum* libros apud Vergilii demum commentatores laudatos liberto huic tribuendos esse censuit eorumque fragmenta Daphnidis nomine inscripta postea edidit[2]). Res tamen admodum est incerta necessitatemque, qua coacti eos consulari abiudicemus, nullam video. Vixit enim Lutatius post consulatum quindecim annos[3]) et quod ab aequalibus vel paullo posterioribus non laudantur, ne librorum quidem „*de consulatu eius*" fragmenta inveniri ante Plutarchum reputes.

Adcrescit iam numerus hominum Graecorum, quos Romae degisse etiam nos scimus, aetate Sullana et ipsius dictatoris duos novimus libertos doctos, alterum notissimum **Alexandrum Polyhistorem,** alterum **Epicadum.** De Alexandro nova quae addam rebus adhuc exploratis inde a Muellero[4]) non habeo[5]). Alexandrum peripateticum Crassi triumviri comitem esse Polyhistorem neque ego credo[6]): nam si peripateticus philosophus fuisset Sullae libertus, vix Tyrannio demum novos Aristotelis et Theophrasti libros in bibliotheca Apellicontea a Sulla a. 84 Romam Athenis translatos[7]) curae habuisset.

Alter est Epicadus[8]) .. „*L. Cornelii Sullae libertus calatorque in sacerdotio augurali filio quoque eius Fausto gratissimus fuit. Librum autem, quem Sulla novissimum de rebus suis edidit, ipse supplevit*[9])."

---

1) Hist. Rom. rell. I. p. CCLXXV.

2) In editione minore Teubneriana, p. 125.

3) V. Drumann Geschichte Roms II. p. 587. n. 61.

4) F. H. G. III. p. 206 sqq.

5) Disseruerunt de eo Freudenthalius Hellenist. Stud. I. p. 16 sqq., de aetate accuratius Unger (Philol. XLIII. p. 528 sqq. et XLVII. p. 177 sqq., ubi p. 181 haud recte Dionysium Thracem Romae docuisse Suidae credidit). Maxime lectitatus postea et exscriptus esse videtur Alexandri liber περὶ Ῥώμης, quo Livius usus est de ordine regum Albanorum (v. Niebuhr Röm. Gesch. I. p. 207) et de aliis rebus Romanis (v. Maass Herm. XVIII. p. 321—339). Alexander porro is erat, qui Homerum (Υ, 307 sq.) vaticinantem fecit de imperio populi Romani (v. Maass l. l. p. 330. Robert ibid. XXII. p. 457): quod initium et causa fuisse videtur ineptiarum, quas excogitaverunt grammatici de accurata Homeri Romanorum morum et linguae notitia, quin immo de Romana eius origine (cf. infra Epimetrum nostrum). Ignota adhuc Alexandri scripta detexit Maassius, commentarium Corinnae, quo usus est Pausanias (Deutsch. Litt.-Ztg. 1887. p. 55) et π. τοῦ ἐν Δελφοῖς χρηστηρίου (v. de Sibyllarum indicib. p. 18).

6) Plut. Crass. 3. Credit Christius Griech. Littgesch.[2] p. 520. n. 4.

7) Strabo XIII. p. 609. Plut. Sulla 26. v. Zeller II[3], 2. p. 139. III[3], 1. 621.

8) De quo egit Osannius (Beitr. z. griech. u. röm. Littgesch. II. 359). Hic Epicadus Sullae nomen e „Sibylla" ortum esse contendit (Maass de Sibyll. indicib. p. 32) atque hic fuerit ὁ ἐπὶ βιβλιοθήκης (Sullanae) quem teste Strabone l. l. adiit Tyrannio. Nullam enim aliam esse nisi ipsam Apelliconteam puto bibliothecam illam Fausti amplissimam, qua „*pascebatur*" Cicero Puteolis (ad Att. IV, 10), cum alibi vel publice eam positam esse a dictatore nusquam tradatur.

9) Suet. gr. 12.

Recte igitur H. Peter[1]) fragmentum (21) Sullae ὑπομνημάτων, in quo ipsius dictatoris mors narratur, Epicado tribuit. Prorsus vero abicienda mihi videtur eiusdem viri docti coniectura, quā[2]) Plinii locum N. H. XVII. §. 243 tentavit, ubi tradita sunt haec: *„qualibus ostentis Aristandri apud Graecos volumen scatet, ne in infinitum abeamus, apud nos vero C. Epidii commentarii, in quibus arbores locutae quoque reperiuntur“*. Coniecit vir doctissimus *Epicadi* pro *Epidii:* certe idem etiam in indice huius libri facere debuit. Sed hic *C.* Epidius cum *L.* Cornelio Epicado nihil habet commune, nisi quod commentarios alter scripsit, alter continuavit. Immo, si genus et indolem Epidii scriptorum respexeris a Plinio indicata, facile mecum putabis eundem hunc esse atque rhetorem Epidium[3]), qui non minus miranda de proavo suo narravit[4]).

Laelius Archelaus Vectiusque Philocomus, Lucilii interpretes, Graeci non fuerunt[5]), cum *„nostri“* i. e. Romani vocentur a Suetonio[6]): . . . *„ac nostris exemplo fuit (Crates) . . .; ut C. Octavius Lampadio . . . . . . ut postea Q. Vargunteius . . . . ut Laelius Archelaus Vectiusque Philocomus etc.“*. Neque in nominibus offendendum est, quoniam Graeca cognomina a Romanis iam ante haec tempora adsumebantur[7]).

Haud prorsus quidem certis, sed his fere temporibus adscribendus est **Sevius**[8]) **Nicanor**[9]). E satura, quam scripsit, duos affert Suetonius versus, quibus libertum se ac duplici cognomine ornatum esse indicat:

Seviu' Nicanor Marci libertu' negabit:
Seviu' Postumus idem ABC Marcu' docebit[10]).

Erat igitur libertus M. Sevii cuiusdam, Nicanoris nomen servile habuit vel pristinum vel a domino inditum. Non iam igitur M. Sevius Nicanor M. libertus alius etiam Romani libertus fieri potuit, a quo Postumi cognomen accepisset. Itaque ipse se transnominavit, ut L. Crassitius Pasicles postea Pansam se appellavit[11]).

Inde quod s littera in versu non auditur, apparet antiquorum iam poetarum temporibus vixisse Nicanorem, certe ante Catullum

---

1) Hist. Rom. rel. I. p. CCLXXVII.
2) In Mus. Rhen. XXII. p. 153.
3) Suet. rh. 4. „M.“ addidit Rothius; unde? anne ex *M.* Antonio discipulo.
4) Suet. l. l.
5) Quamquam putat hoc Teuffelius R. L.-G. I. §. 148.
6) Gr. 2.
7) Mommsen R. G. I^6. p. 452.
8) Sic scribendum esse pro tradito *„Saevius“* ex inscriptionibus probavit Hertzius in Fleck. Annal. CVII. p. 370.
9) Suet. gr. 5.
10) Alterum versum egregie emendavit Bergkius.
11) Suet. gr. 18.

aliosque, qui vocabantur οἱ νεώτεροι. Recentior est **Ateius Praetextatus Philologus** libertinus Atheniensis *„quem Capito Ateius iuris consultus inter grammaticos rhetorem, inter rhetores grammaticum fuisse ait"* [1]). Amplam de hoc homine scripsit dissertationem Graffius [2]), qui Bryani coniectura Plut. Sull. 14 Μάρκον Ἀτήιον pro tradito M. Τήιον usus probabiliter tempora computavit. Minus recte disputasse videtur de cognomine Praetextati, quod primus testatur Asinius Pollio apud Suetonium [3]). Haec enim vir doctus: „Ut Ateius hoc cognomine (Praetextati) vocaretur, fieri potuit aut quod puero id cognomen inditum est aut ex priore nomine, quod, antequam manumissus esset, habuit. Saepissime enim factum est, ut liberti praeter nomen a patrono sive manumissore acceptum pristinum retinerent". Haec ultima vera quidem sunt, sed nomen illud pristinum pueri Atheniensis quomodo esse potuit Praetextatus? Ac ne ab initio quidem puero hoc cognomen inditum esse (a domino vel alio homine Romano) recte dictum est. Pueri enim nominabantur, quia erant praetextati, non cognominabantur ingenui [4]). Hoc tenendum est, neque exemplum attulit Graffius, quo aliam alicubi rationem probaret. Praetextatus igitur nullo modo nec nominari nec cognominari potuit puer servulus Graecus [5]). Res satis probabili via expediri posse videtur. Cognomina patronorum accepisse libertos pro nominibus gentiliciis quamquam nondum demonstratum est [6]), tamen praeter nomen gentile patroni etiam cognomen assumere potuisse libertos constat [7]). Novimus Crassitium Pansam et Sevium Postumum. Accedit tertius Ateius Praetextatus [8]).

Staberius Eros *„†nametra* [9]) *emptus de catasta et propter litterarum studium manumissus docuit inter ceteros Brutum et Cassium. Sunt qui tradant, ut temporibus Sullae proscriptorum liberos gratis et sine mercede ulla in disciplinam receperit"* [10]). Certe igitur annis 81/80

---

1) Suet. gr. 10.

2) Bulletin de l'acad. imp. des sciences de St. Pétersbourg 1861. (III.) p. 112—138. 145—153.

3) L. l. Non debuit hinc exscribere Graffius ineptam codicum lectionem „quidam", sed recipienda fuit Iahnii emendatio „quidem".

4) V. Marquardt Privatleben d. Römer I. p. 124.

5) Nihil facere apparet ad nostram rem servorum nomina Latine formata, velut Auctus, Optatus, Fortunatus (cf. Marquardt l. l. p. 20. n. 5).

6) V. Marquardt l. l. p. 21. n. 5: qua re recte prohibetur Peter l. s. l. p. CCLXXVII, quominus libros quoque de antiquitate Lutatio consulari esse abiudicandos, Daphnidi tribuendos censeat.

7) V. Marquardt l. l. p. 22.

8) Praetextati cognomen testantur praeter ea, quae attulit Graffius p. 119, lapides apud Mommsenum I. R. N. 3595. 6034. (cf. Wilmanns Ex. 733. 1236. 2856).

9) Corruptelam sanari posse despero, cum nomen latere putem: aut cognomen aliud grammatici aut nomen hominis, a quo emptus et manumissus est.

10) Suet. gr. 13.

iam Romae docuit grammaticus. Accedit Plinii[1]) testimonium: „*talemque* (cretatis pedibus ut venalem) *Publilium Antiochium, mimicae scaenae conditorem et astrologiae eius consobrinum Manilium Antiochium* (vulgo *Antiochum*) *item grammaticae Staberium Erotem eadem nave advectos videre proavi*". Causam, cur fictum esse hunc συγχρονισμόν cum Teuffelio[2]) putemus, non video. Duos consobrinos affines simul servos captos e patria Antiochia Syriae deductos eadem nave advehi nihil miri habet. Factum esse hoc ante annum 81/80 ex Suetonio colligitur. Certior etiam terminus facile se praebet quaerenti: annus 83, quo una cum Sulla ex Asia redeunte denuo πολύ τι φῦλον in Urbem adfluxit.

Publilium Syrum puerum ad patronum domini adductum esse tradit Macrobius[3]); natus igitur est fere a. C. 93, quocum egregie congruit, quod Hieronymus Publilii ἀκμήν ponit in anno 43, quinquagesimum aetatis annum agentis. Sapit hoc Hieronymi computandi rationem, cuius nonnulla exempla ostendit Ritschelius[4]).

Aequalis fere est Publilii consobrinus **Manilius** astrologus, quem auctorem Astronomicorum, quae scripta sunt certe post annum p. C. 9[5]), esse non posse hinc iam apparet.

Staberius Eros aetate superior fuerit utroque necesse est, cum biennio vel triennio post iam floruisse eum grammaticae artis magisterio audiamus. Antiochius et ipse videtur fuisse et nescio quo vinculo cum pueris istis coniunctus. Vixisse eum etiam annis a. C. 75—70 inde concluditur, quod fuit Bruti magister nati a. 85. Laudatur Staberii liber de proportione i. e. περὶ ἀναλογίας[6]) a Prisciano[7]), atque nominantur a Frontone[8]) inter grammaticos, a quibus tractati veterum scriptorum poetarumve libri optatiores videntur, primi Lampadio et Staberius.

M. Pompilius Andronicus „*natione Syrus, studio Epicureae sectae*[9]) *desidiosior in professione grammatica habebatur minusque idoneus ad tuendam scholam. Itaque cum se in urbe non solum Antonio Gniphoni*[10]), *sed ceteris etiam deterioribus postponi videret, Cumas*

---

1) XXXV. §. 199.
2) R. L.-G. §. 159, 10.
3) Sat. II, 7, 6.
4) Parerga I. p. 624—628. Cf. infra p. 393. n. 7 et p. 397. n. 4.
5) V. I, 897. Alia etiam posterioris temporis indicia enucleavit Freier „De Manilii quae feruntur astronomicon aetate". p. 29.
6) V. Lersch Sprachphilosophie der Alten I. p. 157.
7) II. p. 385. Ubi v. adnotationem Hertzii. Tradit Priscianus Staberium calumniandi verbum passive usurpasse in isto libello.
8) VII. p. 20.
9) V. Zeller. III³, 1. p. 375. Pompilii studiorum Epicureorum quaedam superesse in voll. Hercul. suspicatur Gomperzius (Wiener Stud. II. p. 139).
10) Qui Romae docuit Caesarem puerum, deinde etiam Ateium Praetextatum (Suet. gr. 7. 10), annis fere a. C. 90—80.

transiit ibique in otio vixit et multa composuit; verum adeo inops atque egens, ut coactus sit praecipuum illud †[1]) *opusculum suum annalium Enni elenchorum sedecim milibus nummum cuidam vendere, quos libros Orbilius suppressos redemisse se dicit volgandosque curasse nomine auctoris*"[2]). Qualis hic sit verbi „*elenchus*" notio, e sententiarum conexu cognosci posse videtur. Quid enim? Pauperie coactus vendidit opusculum istud Pompilius. Emit quidam haud exiguo pretio atque — suppressit, Orbilius redemit nomineque auctoris volgandum curavit. Commentarii si fuissent atque indices, non satis intellegeretur, cur essent suppressi atque mortuo demum auctore (ut videtur) editi. Itaque criminationes refutationesque continuisse puto elenchorum libellum neque casu factum esse, ut Orbilius homo acerbissimi ingenii lacerandi insectandique homines amantissimus[3]) huic opusculo volgando curam impenderet.

Iam venimus (etenim nominari tantum potest **Sarpedon**, Catonis minoris παιδαγωγός[4]) alioqui prorsus ignotus) ad ultima liberae reipublicae tempora et ad initium principatus; quod aetatis spatium uno decursu ut tractetur res postulat. Tamen secernere abhinc lubet inter grammaticos aliosque scriptores et rhetores.

II. De grammaticis historicis aliis scriptoribus.

De Didymo Theone Archibio quaestiones haud ita faciles ut recte expediamus, antea de grammatici his posterioris **Apionis** vita disserere opus est, praesertim cum nec Lehrsius[5]) nec Sperlingius[6]) grammaticorum una cum eo apud Suidam nominatorum rationem satis habuerint. Recte tamen Plinii[7]) nisi testimoniis bis eum Romae fuisse statuerunt[8]), Tiberio regnante et anno p. C. 40, cum legationes Alexandrinorum et Iudaeorum Romae essent apud Caligulam. Et provectiorem quidem aetate eum tunc iam fuisse inde concludere licet, quod princeps legationis a civibus Alexandrinis creatus est. Accedit autem alius Plinii locus[9]) dignus qui respiciatur: „*Apion cognominatus Plistonices p a u l l o a n t e s c r i p t u m r e l i q u i t esse etiamnunc etc.*". Haec verba nihil aliud significare possunt nisi paullo

---

1) Corruptelae signum posuit Reifferscheidius neque ego huius structurae exemplum inveni. Iahnii coniecturae „*cui titulum*" refragatur tituli vocis usus, in inscriptionibus tantum neutrius generis usurpatae. Omissum puto a librario post „*elenchorum*" „*librum*" vel „*libros*".

2) Suet. gr. 8.

3) Suet. gr. 9. Ceterum cf. Sotionis minoris XII libros Διοκλείων ἐλέγχων contra Dioclem Magnetem scriptos (Diog. Laert. X, 4). V. Zeller II³, 2. p. 931. n. 3.

4) Plut. Cat. min. 1, 4.

5) Quaestt. ep. p. 1 sqq.

6) Apion d. Grammat. u. sein Verhältnis zum Judentum, Dresd. 1886.

7) Praef. §. 25 et XXX. §. 18.

8) V. Lehrs. l. l. p. 3. adn. Sperling p. VIII sqq.

9) XXXVII. §. 75.

ante quam haec scripserit Plinius mortuum esse Apionem[1]). Dolemus nunc, quod, quando scripti sint singuli Historiae Naturalis libri, nescimus, sed cum anno p. C. 77 Tito traditum esse totum opus constet[2]) atque in ultima parte legantur illa verba, obiisse Apionem non ante annum p. C. 60 statuimus. Nunc adire licet Suidae glossam: Ἀπίων ὁ Πλειστονίκου ὁ ἐπικληθεὶς Μόχθος[3]) Αἰγύπτιος, κατὰ δὲ Ἑλικώνιον Κρής, γραμματικός, μαθητὴς Ἀπολλωνίου τοῦ Ἀρχιβίου· ἠκηκόει δὲ καὶ Εὐφράνορος γηραιοῦ καὶ ὑπὲρ ἑκατὸν ἔτη γεγονότος, Διδύμου δὲ τοῦ μεγάλου θρεπτός· ἐπαίδευσε δὲ ἐπὶ Τιβερίου Καίσαρος καὶ Κλαυδίου ἐν Ῥώμῃ· ἦν δὲ διάδοχος Θέωνος τοῦ γραμματικοῦ καὶ σύγχρονος Διονυσίου τοῦ Ἁλικαρνασσέως ἔγραψε κ. τ. λ. Offendimus in fine. Dionysius enim Halicarnassensis maior cum a. C. 30 Romam venisset et a. C. 8 Archaeologiam iam confecisset, non erat Apionis aequalis; neque de altero minore Hadriani aequali sermo esse potest. Ergo coniectura facienda: Theonis aetatem puto indicare voluisse lexicographum Dionysii synchronismo. Varia excogitari possunt, quae vera videantur[4]): certe qui antecessit in schola Apionem, revera erat aequalis Dionysii Halicarnassensis. Sic **Theonis** quoque aetas accuratiore firmatur temporis nota[5]). Alexandriae fuisse hunc grammaticum nusquam traditur. Romae igitur ab eo Tiberio regnante Apioni scholam esse relictam e Suidae verborum ordine videtur colligi posse[6]). Porro scimus in interiore Aegypto natum esse Apionem[7]), et vocatur Ἀλεξανδρεύς, ergo, quod per se consentaneum est, puer in capite Aegypti primis imbutus est litteris[8]). Atqui appellatur θρεπτός

1) Mirum sane est scribendi genus, quo usus Plinius, cum post verba §. 74 sq. *„Theophrastus tradit — duorum, se autem scribente esse — transfigurato“* pergat: *„Apion — paullo ante scriptum reliquit“*, a lectoribus postulat, ut contra verborum conexum illud *„paullo ante“* non ad Theophrastum, quoniam hoc vetat temporum ratio, sed ad ipsum Plinium referant: quapropter dubitanter conicit Susemihlius corruptum forsitan esse vel lacunosum hunc locum. At neglegenti hoc scriptoris orationi ac stilo videtur esse tribuendum.

2) Praef. 3.

3) De nominibus Apionis v. Sperlingium l. l. p. V—VI.

4) Vel συγχρόνου pro σύγχρονος vel ὃς ante καὶ addendum, nisi excidit enuntiatum relativum post τοῦ γραμματικοῦ.

5) Totam de Theonis aetate quaestionem iam tractavit Gieseus (De Theone grammatico, Monast. 1867. p. 24 sqq.) — non recte me iudice. Credit Suidae Apionem fuisse aequalem Dionysii Halicarnassensis Didymumque natum esse existimat Antonio Cicerone coss. (a. C. 63) propter eiusdem Suidae verba s. v. Διδ: γεγονὼς ἐπὶ Ἀντωνίου καὶ Κικέρωνος, sed secuntur καὶ ἕως Αὐγούστου. Itaque γεγονώς non esse potest „natus est“ (cf. Rohde in Mus. Rhen. XXXIII. p. 218. n. 2, ubi tamen non satis accurate discipulus vocatur Didymi Apion, cum legatur apud Suidam θρεπτός. v. p. 369. n. 1).

6) Errasse igitur videntur M. Schmidtius Didym. p. 6 et Schoenemannus De lexicogr. antiqu. (Hannov. 1886). p. 48. n. 4 et p. 72.

7) Ioseph. c. Apion. 2, 3; Sperling p. VII in Thebaïdos oasi natum esse Apionem probat.

8) Sperling p. VIII.

i. e. alumnus Magni **Didymi**[1]); hunc igitur puero Apione Alexandriae docuisse necesse est. Natum esse Apionem ex eis, quae supra computavimus, colligendum est primo fere ante Christum decennio. Primo igitur p. C. decennio Alexandriae versabatur Didymus. Extremam eum tunc egisse vitae partem idem perhibet Suidas s. v. Δίδυμος Διδύμου ... Ἀλεξανδρεὺς γεγονὼς ἐπὶ Ἀντωνίου καὶ Κικέρωνος καὶ ἕως Αὐγούστου, de quibus non est quod dubitemus. Porro antea quoque Alexandriae esse commoratum Didymum ex his verbis apparere mihi videtur. Etenim si libera etiam republica Romae ἐσοφίστευσε Didymus, cur non legitur συγχρονισμὸς ἐπὶ Πομπηίου τοῦ μεγάλου sicut ubique de Graeculis tunc Romae docentibus, sed ἐπὶ Ἀντωνίου? Causam, illud cur non factum sit, non video, hoc cur sit factum, nosci posse puto. Ut enim Pergami Attalidae, Romae Sulla Pompeius Augustus, ita Alexandriae Ptolemaei et post eos qui succedebat in regno Aegypti Antonius nominantur, ut aetas hominis ἀξιολόγου τινός significetur in illius aula vel regni capite florentis. Sic Didymus Alexandriae versatus sub Antonio vixisse dicitur[2]). Accedit denique quod Susemihlius mihi suppeditavit, testimonium Suidae s. v. Ἡρακλείδης Ποντικός: ὅστις Διδύμῳ τῷ πάνυ κατὰ τὴν Ἀλεξανδρέων ἐφοίτησεν[3]). Quare et quia nullum invenitur vestigium, quo Romam ducimur, non mihi probatur Schmidtii[4]) mutatio, qui in Suidae glossis de variis Didymis[5]) verba (gl. 2) Δίδυμος νέος Ἀλεξανδρεὺς γραμματικός ita transposuit, ut proxime sequentia ὃς ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ ad Didymum maiorem pertineant. Immo cum recte se habere glossae insequentes de tribus

1) Alumnus, non discipulus: quod ideo urgendum censeo, quia maiorem intercessisse annorum differentiam facilius cogitari potest inter alumnum et nutritorem (cf. quae de Gniphone narrat Suetonius gr. 7) quam discipulum inter et magistrum. De Didymo nunc v. Wilamowitzium Eurip. Heracl. I. p. 157 sqq.

2) Additum etiam Ciceronis aequalis nomen inde explicari puto, quod novit lexicographus Didymi contra Ciceronem de republica scriptum.

3) Quamquam offendunt me quoque verba Διδύμῳ — Ἀλεξανδρέων, quippe pro quibus expectes πρὸς Δίδυμον τὸν πάνυ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ vel simile quid, et nescio quid sibi velit illud κατὰ τήν. Lacunosa videntur.

4) Didym. p. 2.

5) Quae exscribantur necesse est:

a. Δίδυμος Διδύμου ταριχοπώλου γραμματικὸς Ἀριστάρχειος Ἀλεξανδρεὺς γεγονὼς ἐπὶ Ἀντωνίου καὶ Κικέρωνος καὶ ἕως Αὐγούστου. Χαλκέντερος κληθεὶς διὰ τὴν περὶ τὰ βιβλία ἐπιμονήν· φασὶ γὰρ αὐτὸν συγγεγραφέναι ὑπὲρ τὰ τρισχίλια καὶ πεντακόσια βιβλία.

b. Δ. νέος Ἀλεξανδρεὺς γραμματικός, ὃς ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ· ἔγραψε Πιθανά· περὶ ὀρθογραφίας καὶ ἄλλα πλεῖστα καὶ ἄριστα.

c. Δ. ὁ Κλαύδιος χρηματίσας γραμματικός· περὶ τῶν ἡμαρτημένων παρὰ τὴν ἀναλογίαν Θουκυδίδῃ· περὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίοις ἀναλογίας, Ἐπιτομὴν τῶν Ἡρακλέωνος καὶ ἄλλα τινά.

d. Δ. ὁ Ἡρακλείδου γραμματικός· ὃς διέτριψε παρὰ Νέρωνι καὶ ἐχρηματίσατο· μουσικὸς ἦν λίαν καὶ πρὸς μέλη ἐπιτήδειος.

e. Δ. Ἀλεξανδρεύς· γεωργικὰ ἐν βιβλίοις ιε΄.

aliis Didymis mihi quoque non videantur, eundem esse puto hunc νέον Δίδυμον atque Claudium Didymum, quem, cum uni grammaticae arti operam dedisse et Magni vestigia pressisse videatur, νέον vocari bene intellegimus, quemque Romae vixisse et nomen et scripta (περὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίοις ἀναλογίας) indicant.

Deinde vocatur Apion discipulus **Apollonii τοῦ Ἀρχιβίου**, qui teste Suida (s. v. Ἀπολλ. Ἀρχεβούλου ἢ Ἀρχιβίου) scripsit περὶ λέξεων Ὁμηρικῶν κατὰ στοιχεῖον. Falsum esse Suidam statuit Lachmannus[1]), quia lexici auctor Apollonius ὁ Ἀρχιβίου neminem saepius exscripsit Apione; alium esse lexici auctorem nunc putant[2]). At fortasse inveniri potest ratio, qua concilientur, quae inter se obstare videantur. Novimus enim praeter Apollonium Ἀρχιβίου etiam **Archibium Ἀπολλωνίου** (Suid. s. v.) qui scripsit Καλλιμάχου ἐπιγραμμάτων ἐξήγησιν. Videtur igitur, ut solebant Graeci, pater filium ex ipsius patre nominasse, nepos avi nomine vocatus esse. Quid, si Archibius Callimachi interpres filius est Apollonii Apionis magistri? Aequalis tunc erat Apionis et studiorum socius, eiusque filius ex avo appellatus Apollonius Ἀρχιβίου, lexici Homerici auctor, glossis Apionis, patris amici, usus est frequentissime[3]).

Sed unde exiimus, ad Apionem reversi comprehendamus, quae de vita eius disputavimus. Natus primo a. C. decennio puer Alexandriae fuit alumnus Didymi, deinde (mortuo interea, ut videtur, educatore, qui vixit ἕως Αὐγούστου) discipulus factus est Apollonii τοῦ Ἀρχιβίου annis Augusti principatus ultimis, Tiberii primis. Magisterium ut ipse exerceat, Romam migrat (fortasse una cum praeceptoris filio Archibio), susceptaque schola a Theone relicta mox innotescit ipsi principi. Reversus tamen nescio qua de causa Alexandriam in republica versari coepit, ut p. C. 40 a civibus legationi illi praeficeretur. Obiit intra annos p. C. 60 et 70.

Adiungantur ilico ei, qui quando fuerint Romae incerta coniectura nanciscimur. Sic aliunde prorsus ignotus est **Matreas** iste, cuius

---

1) Babrii fab. p. XI.

2) V. Christ. l. l. p. 635. n. 2 Obscura sunt Villoisoni verba mihi ex Meieri tantum Commentationibus Andocid. (Opusc. II. p. 53) nota, quibus referendum esse lexicon illud „ad Apollonium eum, qui sub Augusto floruit, Archibii filium, Apollonii nepotem, Dionysii Thracis aequalem" significat.

3) Nescio an in unum coniungendi sint, quos duos profert Suidas (s. v.):
1) Ἀρχίβιος Ἀπολλωνίου γραμματικός· τῶν Καλλιμάχου ἐπιγραμμάτων ἐξήγησιν.
2) Ἀρχίβιος Πτολεμαίου Λευκάδιος ἢ Ἀλεξανδρεύς· γραμματικὸς τῶν ἕως Τραιανοῦ τοῦ Καίσαρος ἐν Ῥώμῃ παιδευσάντων.
Suppletur enim alter altero: desideratur in priore loci et temporis mentio, facta in altero, in hoc autem scripti alicuius facta in priore, et bene quadraret in ea, quae de Archibio Apionis aequali statuimus, temporum nota τῶν ἕως Τραιανοῦ τ. Καίσαρος κ. τ. λ. At obstat in altera glossa Ptolemaei nomen, nec, nisi id nescio unde huc erepsisse putas, suspicioni nostrae adsentiri potes.

meminit Athenaeus[1]: ἐθαυμάζετο δὲ παρ' Ἕλλησι καὶ Ῥωμαίοις Ματρέας ὁ πλάνος Ἀλεξανδρεύς, ὃς ἔλεγε καὶ θηρίον τρέφειν, ὃ αὐτὸ ἑαυτὸ κατεσθίει· ὡς καὶ ζητεῖσθαι μέχρι νῦν τὸ „Ματρέου θηρίον τί ἐστιν;“ ἐποίησε δ' οὗτος καὶ παρὰ τὰς Ἀριστοτέλους ἀπορίας καὶ ἀνεγίνωσκε δημοσίᾳ, διὰ τί ὁ ἥλιος δύνει μέν, κολυμβᾷ δ' οὔ[2]. Erat igitur philosophus migrans τῶν περιπολιζόντων, quales duos nominat Strabo[3], Tarsenses Plutiadem et Diogenem, quorum alter carmina etiam tragica ἀπεφοίβαζε τεθείσης ὑποθέσεως.

Philoxenum Alexandrinum grammaticum Romae docuisse refert Suidas s. v., omissa vero omni temporis nota. Certum est eum vixisse ante Nicanorem et Herodianum, a quibus laudatur; alia nescimus[4].

Similiter de **Ptolemaeo Ascalonita** nihil constat nisi vixisse eum inter Aristarchum et Nicanorem Herodianumque[5]; neque aliter se res habet de **Heracleone Aegyptio**[6], qui tamen inter Aristarchi discipulos et Epaphroditum degisse videtur[7]. Finem faciat incertorum grammaticus, cuius ne nomen quidem sanum traditum est apud Suidam s. v. Ἡρακλείδης Ποντικός[8]: οὗτος (Heracl.) ἐπειδὴ ἤκουσεν † ***Ἄπερος*** (Ἀπέρως codd. nonnulli) τοῦ Ἀριστάρχου μαθητοῦ εὐδοκιμοῦντος κατὰ τὴν Ῥώμην πολλά τε τὸν Δίδυμον διασύροντος, ἔγραψε . . . . εἰς Ῥώμην δὲ κομίσας (Heracl.) καὶ τοῦ Ἄπερος (eadem codicum variatio) καταφανεὶς κατέμεινε σχολαρχῶν ἐν αὐτῇ ἐπὶ Κλαυδίου καὶ Νέρωνος. Enodare haec nequeo. Quae protulerunt viri docti[9], non placent, nec tamen melius quicquam habeo.

Iam fugiamus tenebras lucemque petamus. Apud Ciceronem Pompeium Caesarem videmus Graeculos libertos et familiares viventes docentes scribentes. Ciceronis in epistulis occurrunt Chrysippus et Dionysius docti liberti, Nicias et Tyrannio grammatici.

---

1) I. p. 19 d.
2) Hinc sua habet Suidas s. v.
3) XIV. p. 675.
4) Vixerit necesse esse post editos Varronis de lingua Latina libros contendit Kleistius (De Philoxeni studiis etymologicis, Gryph. 1865. p. 8), quia περὶ τῆς Ῥωμαϊκῆς διαλέκτου scripserit Ph. neque cogitari ullo modo possit talem librum ante Varronis editum esse. Sed quale putandum est opus Hypsicratis laudati ab ipso Varrone V, 88 de etymologia vocis „cohors“ = χόρτος? *„cuius libri sane nobiles super his, quae a Graecis accepta sunt“* fons erant Cloatio Vero in libris „verborum a Graecis tractorum“, Gell. XVI, 12, 6. Tollitur igitur Kleistii argumentum.
5) Cf. Baege De Ptolem. Ascal., Hal. 1882. p. 2. Blau De Aristarchi discipulis, Ien. 1883. p. 25.
6) V. Suid. s. v.
7) V. M. Schmidt Didym. p. 47 sq. n. 1. Meier Commentt. Andocid. VI, 2. p. 100 (Opusc. II. p. 27). n. 100. Schimberg Analecta Aristarchea, Gryph. 1878. p. 15 sq. Diels Doxogr. p. 91. n. 2. Susemihl Gesch. der griech. Litt. in d. Alexandrinerzeit II. p. 20 sqq.
8) De hoc Heraclide Lescharum poeta v. Meinekeum Anal. Alex. p. 377 et Maassium de biogr. Gr. (Philol. Unters. III). p. 29 sq.
9) V. Blau. l. l. p. 3.

Chrysippus, Ciceronis libertus, Marci filii magister, patronum in Ciliciam provinciam secutus in reditu profugit[1]). Primum commemoratur ad Quint. fr. III, 4, 5 (a. C. 54): fratri, qui de bibliotheca sua Graeca supplenda Ciceronem adierat, hic respondet: „*valde velim ista confici, praesertim cum ad meum quoque usum spectent: sed ego, mihi ipsi per quem ista agam, non habeo; neque enim venalia sunt, quae quidem placeant, et confici nisi per hominem et peritum et diligentem non possunt. Chrysippo tamen imperabo et cum Tyrannione loquar*". Quinque igitur annos certe scimus apud Ciceronem degisse Chrysippum et erudivisse Marcum puerum ab anno eius undecimo usque ad quintum decimum[2]).

De **Dionysio,** doctissimo Attici liberto, egit Drumannus[3]), recte inter ὁμωνύμους in epistulis nominatos discernens. Homo fuit singulari praeditus ingenio et eruditione, cum summam Ciceronis admirationem sui habere nec minus odium in se excitare potuerit non obsecutus eius precibus. Duae potissimum de hoc inspiciendae sunt epistulae: ad Att. IV, 11 (in Cumano a. 55) et IX, 12. In illa legimus: „*Nos hic voramus litteras cum homine mirifico (ita enim mehercle sentio) Dionysio, qui te omnesque salutat.* οὐδὲν γλυκύτερον ἢ πάντ᾿ εἰδέναι". Sex annis post scribit (ad Att. IX, 12, 2): „*De Dionysio sum miratus, qui apud me honoratior fuit quam apud Scipionem Panaetius; a quo impurissime haec nostra fortuna despecta est. Odi hominem et odero: utinam ulcisci possem!*" Attici cum esset libertus, nominare se potuit Atticum Dionysium. Eundem tamen esse eum atque Dionysium Atticum rhetorem Apollodori Pergameni discipulum[4]) non puto, quamquam non obstat temporum ratio, cum Apollodorus a. C. 45 iam grandis fuerit natu[5]). Sed primum nihil apud Ciceronem de Dionysii studiis rhetoricis legimus[6]). Deinde Attici cognomen Apollodori discipulo inditum esse videtur ex oratorum Atticorum potissimum studio et imitatione. Denique grammaticum fuisse Attici libertum epistula docet ad Att. VI, 2, 3[7]).

---

1) Ad Att. VII, 2, 8 (a. C. 50).

2) Cf. praeterea ep. ad Qu. fr. III, 5, 6. Rediisse etiam postea hominem ad Ciceronem et in gratiam esse receptum Drumannus (G. R. VI. p. 403) colligit ex epistula ad Att. XI, 2, 3 (a. 48). Equidem ibi intellegendum esse Chrysippum puto architectum, qui nominatur etiam ibid. XIII, 29, 2. XIV, 9, 1. Vettius Chrysippus, Cyri libertus vocatur ad fam. VII, 14, 1.

3) Geschichte Roms VI, 403.

4) Strabo XIII. p. 625. Quintil. III, 1, 18.

5) Sueton. Octav. 89.

6) Quamquam filius eius nominatur a Seneca (controv. I, 4, 11) inter rhetores „*elegans magis declamator quam vehemens*".

7) Cicero geographica conscripturus Dicaearchi tabulis crediderat „*Peloponnesias civitates omnes maritimas esse*", adiit tamen Dionysium, qui nonnullas esse νεοκτίστας confirmabat navium catalogo Homerico,

Nicias Cous[1]) primum nominatur in epistula anni a. C. 50 (ad Att. VII, 3, 10) addita hic tantum hominis patria, unde suspiceris paullo ante eum cognitum fuisse Ciceroni. Agitur quaestio grammatica, sitne scribendum „*in Piraeea*", id quod fecit Cicero, vituperasse videtur Atticus: „*Non . . hoc* (*in*) *ut oppido proposui, sed ut loco: et tamen Dionysius noster, qui est nobiscum, et Nicias Cous non rebatur oppidum esse Piraeea*". Quinque annis post (nam tunc demum iterum occurrit) iam vocatur „*Nicias noster et suavissimus* συμβιωτής" (ad fam. IX, 10). Sed iam ante annum 50 eum Romae fuisse demonstrari potest e Suetonio, qui[2]) haec tradit: „*Curtius*[3]) *Nicia adhaesit Cn. Pompeio et C. Memmio; sed cum codicillos Memmi ad Pompei uxorem de stupro pertulisset, proditus ab ea Pompeio offendit domoque ei interdictum est; fuit et M. Ciceronis familiaris*"; secuntur testimonia ex epp. ad fam. IX, 10 et ad Att. XII, 26 atque in fine: *huius de Lucilio libros etiam Santra comprobat*". Apparet adhaesisse Niciam Pompeio et Memmio, antequam ad Ciceronem veniret. C. Memmius est „*Paris*" Romanus[4]), amicus erat et assecla Pompei certe usque ad annum 58. Tunc enim vehementissime invectus est in Caesarem[5]), cuius ad partes postea transiit. Nam a. 54 consul designatus, sed de ambitu accusatus „*sperat se adventu Caesaris consulem futurum*"[6]). Intra hos annos factum est Memmii et Pompei discidium, itaque ante annum 54 iam Romae versabatur Nicias. Memmium damnatum et Athenas in exilium proficiscentem[7]) non secutus est, sed alium quaesivit patronum et invenit. Imprimis anno 45 frequentasse videtur Ciceronem[8]), eodem autem iam anno „*invito Cicerone, sed eodem auctore*" ad Dolabellam, generum Ciceronis, discedit „*magnopere ab eo arcessitus*", atque abhinc, quamdiu de eo audimus, cum Dolabella est[9]). Familiarissime et cum Cicerone et cum Dolabella vixisse Niciam ex epistulis apparet. Discipulus eius nominari videtur Thalna quidam[10]). De scriptis Niciae e Cicerone nihil cognoscitur, grammaticum tamen eum fuisse videmus. Sed

---

ubi earum mentio facta non esset. „*Itaque*", sic pergit, „*istum ego locum totidem verbis a Dicaearcho transtuli*". Habes „ἀπόγραφα" scripta Ciceronis.

1) Attigerunt hunc Beccard „De scholiis in Hom. Il. Ven. A" p. 75 et La Roche Homerische Textkritik p. 110.

2) Gr. 14.

3) Cuius Curtii fuerit libertus, non liquet.

4) Cic. ad Att. I, 18, 3.

5) Suet. Caes. 23. 73. Schol. Bob. in or. p. Sest. p. 2970 O.

6) Cic. ad Qu. fr. III, 2, 3. Cf. ibid. 8, 3. Suet. Caes. 73.

7) A. Ch. 51 Cicero eum ibi visere vult (ad fam. XIII, 1. ad Att. V, 11, 6).

8) Ad fam. IX, 10. ad Att. XII, 26, 2. 51, 1. 53, 1. XIII, 1. 9, 2.

9) Ad Att. XIII, 28, 3. 52, 2. XIV, 9. XV, 20 (anni 44).

10) Ad Att. XIII, 29, 1. E gente, ut videtur, Iuventiorum. Cicero de hoc certiorem se facturus Niciam adiit eiusque iudicium exploravit: „*Ille* (*N.*) *de ingenio* (*Thalnae*) *nihil nimis: modestum et frugi*".

Nicias grammaticus occurrit in scholiis Homericis, atque sequitur e fragmentis[1]) scripsisse eum prosodiam Homericam et fuisse Aristarcheum[2]). Hunc esse Ciceronis familiarem, quamquam dubitat La Rocheus, probat epistula ad fam. IX, 10 (ad Dolabellam): „*Nihil enim Romae geritur, quod te putem scire curare, nisi forte scire vis me inter Niciam nostrum et Vidium iudicem esse: profert alter (ut opinor) duobus versiculis expensum Niciae, alter Aristarchus hos* ὀβελίζει. *Ego tamquam criticus antiquus iudicaturus sum, utrum sint* τοῦ ποιητοῦ *an* παρεμβεβλημένοι". Nam sine dubio verba recte demum intelleguntur, si ad ipsam, quam professus est Nicias, artem grammaticam alludere Ciceronem existimamus[3]). Eodem fere tempore Tyrannio quoque Romae scripsit prosodiam Homericam. Etiam Latinis litteris operam dedisse Niciam e Suetonii loco laudato comperimus. Librum de Lucilio condidit, quem Santra (in opere haud dubie '*de viris illustribus*' s. v. *Lucilius*) comprobavit. Vixisse Santram inter Varronem et Cornelium Nepotem ex ordine nominum apud Suetonium[4]) sequi videtur: aequalis igitur iunior Niciae fuerit. Sospitator Lucilii tunc erat Valerius Cato[5]), et si recte suspicor Valerium illum, qui una cum Tirone et Nicia apud Ciceronem versatur in Tusculano (ad Att. XII, 51—53) esse ipsum hunc grammaticum, dilucide licet cognoscere, unde ad Lucilii studia impulsus sit Graecus.

Tyrannionem grammaticum in Ciceronis epistulis commemoratum non esse 'minorem', quem Suidas s. v. perhibet Ciceronis uxori Terentiae ab Octaviani liberto donatum, sed maiorem Amisenum Dionysii Thracis discipulum demonstravit Planerus[6]). „Intercessisse" vero „ei cum Cicerone necessitudinem quandam et studiorum et sententiarum"[7]) epistulae non testantur: Tyrannio Ciceroni, qui ut erudiat filium grammaticus optaverit[8]), non obsecutus est, et hic illum prosodiae scriptorem naso suspendit adunco ad Att. XII, 6, 2: (petit librum Tyrannionis ab Attico, cui erat dedicatus) „*etsi me non magis liber ipse delectabit quam tua admiratio delectavit . . . teque istam tam tenuem* θεωρίαν *tam valde admiratum esse gaudeo. Etsi*

---

1) Unum est in scholl. in Od. α 109 (schol. ψ 218 iam Buttmannus recte rettulit ad Niciam Mallotam, cf. Mueller F. H. G. IV. p. 463). Cetera e scholiis in Iliad. collecta invenis a Lentzio in indice Herodianeo.

2) Hoc apparet cum e grammaticis una laudatis, ipso Aristarcho Ptolemaeo Ascalonita Tyrannione Heracleone Pamphilo Aristonico tum ex ipso libello, qui sapit scholam Aristarcheam.

3) Niciam in scholiis laudatum Ascalonitam vocari Schol. Il. Δ, 212 falso legitur in Benseleri Onomastico. Extitit error e verbis Νικίας δὲ καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης (h. e. notissimus Ptolemaeus Ascal.).

4) Praef. 1. p. 3 R.

5) V. Suet. gr. 2 et initium Horat. Sat. I, 10.

6) De Tyrannione grammatico, Berol. 1852 (Progr. gymn. Ioach.).

7) Sunt verba Planeri p. 10.

8) Docuit enim Tyrannio Ciceronem puerum, quamdiu bibliothecam apud patrem disposuit, v. Cic. ad Att. IV, 4b, 1. 8a. ad Qu. fr. II, 4, 2.

tua quidem sunt eiusmodi omnia . . . Sed, quaeso, quid ex ista acuta et gravi refertur ad τέλος? Alia haec sunt quam quae de Graeculis doctis necessitudine sibi coniunctis Diodoto Dionysio Nicia loquentem audire consuevimus Ciceronem. De scriptis recte docuit Planerus[1]), in eo haerens, quod apud Suidam maiori Tyrannioni nullum, minori sexaginta et octo tribuuntur, demendos esse minori et vindicandos maiori libros περὶ προσῳδίας et περὶ σκολίου μέτρου.

Plura addenda sunt de **Tyrannione minore**, cuius vitam enarrat Suidas his verbis: Τυραννίων ὁ νεώτερος Φοῖνιξ πατρὸς Ἀρτεμιδώρου, μαθητὴς Τυραννίωνος τοῦ πρεσβυτέρου· διὸ καὶ ὠνομάσθη Τυραννίων, πρότερον καλούμενος Διοκλῆς· αἰχμάλωτος δὲ γενόμενος καὶ αὐτὸς ἐπὶ τοῦ πολέμου Ἀντωνίου καὶ Καίσαρος ὑπό τινος Δύμαντος ὠνήθη τοῦ Καίσαρος ὄντος ἀπελευθέρου, εἶτα ἐδωρήθη Τερεντίᾳ τῇ τοῦ Κικέρωνος γυναικί· ἐλευθερωθεὶς δὲ ὑπ᾽ αὐτῆς ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ καὶ ἔγραψε κ. τ. λ. Bellum, cuius hoc loco fit mentio, haud dubie est illud inter Antonium et Octavianum gestum; anno igitur a. C. 29 captivus cum Octaviano Romam venisse videtur Diocles. Iam quae ansam dedit ad confundendum hunc grammaticum cum Ciceronis aequali, „Ciceronis uxor" Terentia eicienda esse mihi videtur. Eam nondum mortuam esse illo tempore sequitur quidem e Plinio[2]), sed fuit anicula septuaginta fere annorum, cui donavisse libertum Octaviani puerum litteris eruditum persuadere mihi non possum. Itaque Terentiam hic nominatam Maecenatis esse uxorem[3]) puto litterarum artiumque amantissimam et male aut addita verba τῇ τοῦ Κικέρωνος γυναικί, si solum legebatur Terentiae nomen, aut, si recte adiecta erant τῇ τοῦ Μαικήνα γυναικί, pessime haec mutata esse ab homine, qui doctrinae suae testimonium afferre voluerit, cum noverit Tyrannionem e Ciceronis epistulis. — Transeo ad aliam huius glossae partem. Tyrannio enim ὁ νεώτερος vocatur a lexicographo, sed huius distinctionis

---

1) Aliquid addere velim de titulo libelli περὶ τῆς Ῥωμαϊκῆς διαλέκτου. Traditur: π. τῆς Ῥωμ. διαλ. ὅτι ἔστιν ἐκ τῆς Ἑλληνικῆς ἐκ τοῦ Ἀντιγένους ὅτι Ἀντιγένης (Ἀντιγένους: E) ἡ Ῥωμαϊκὴ διάλεκτος. Delevit Planerus (p. 29) verba ἐκ τοῦ Ἀντιγένους et pro ὅτι Ἀντιγένης coniecit οὐκ (melius fortasse κοὐκ vel καὶ οὐκ, ut monet Susemihlius) αὐθιγενής, atque hoc αὐθιγενής certam esse puto emendationem. Sed quae nunc leguntur: π. τῆς Ῥωμ. διαλ. ὅτι ἔστιν ἐκ τῆς Ἑλληνικῆς (καὶ) οὐκ αὐθιγενὴς ἡ Ῥωμαϊκὴ διάλεκτος nonne videntur nimis copiose dicta? Recipiamus Planeri coniecturam αὐθιγενής et retineamus cetera: π. τῆς Ῥωμ. διαλ. „ὅτι ἔστιν ἐκ τῆς Ἑλληνικῆς" ἐκ τοῦ Ἀντιγένους „ὅτι αὐθιγενὴς ἡ Ῥωμαϊκὴ διάλεκτος". Indicat distinguendi ratio, quid velimus, agi dico de altero auctore Antigene, qui e contrario scripserat indigenam esse linguam Latinam. Doleo, quod grammaticum horum temporum Antigenem laudatum nusquam inveni. Occurrit Iulius Antigenes libertus in epigrammate apud Kaibelium 629 (Romae, I. saec.).

2) N. H. VII. §. 158.

3) Qua ipse arsit Octavianus (Dio LIV, 19, 3. Suet. Octav. 66), cuius laudes canit Horatius C. II, 12.

nullum aliud invenitur vestigium, atque iure hac in re offendere videmur. Quid enim? Strabonem, qui eodem anno[1]), eadem fortasse nave Romam advectus novisse debuit docentem ibi et inclarescentem Tyrannionem ‘minorem’, praesertim cum maiorem ipse quoque habuisset magistrum[2]), nonne distinxisse hos inter duos expectamus nec solum de Tyrannione grammatico esse locutum? Nec minus Plutarchus, qui non ipsum quidem, scripta tamen et nomen nosse debuit, ubi loquitur de Tyrannionis vita[3]), nihil addit, unde discernendum esse Amisenum ab altero noscatur. Neque alia res in scholiis: semper et ubique Τυραννίων solummodo laudatur. Sed haud difficilis res est explicatu: antequam Tyrannionis minoris cognomen accepit, **Diocles** appellatus est. Dioclis grammatici mentionem facit Artemidorus[4]), Dioclem scholia testantur Homeri carminibus operam navasse, ita tamen, ut rem magis et sensum quam formam spectasse videatur[5]). Attamen unum eius exstat fragmentum ad prosodiam pertineus: schol. A Il. N, 103: θώων] τὸ δὲ θώων ἔνιοι[6]) περισπῶσιν, ἵν᾽ ὁμοτονῇ τῷ θηρῶν καὶ κυνῶν· οὕτως δὲ καὶ Ἀρίσταρχος προφέρεται καὶ Διοκλῆς καὶ ὁ Θρᾷξ Διονύσιος ὡς βαρύνοντες τὴν λέξιν. Dioclem hunc esse puto Tyrannionis discipulum, qui ut scripsit ἐξήγησιν τοῦ Τυραννίωνος μερισμοῦ ita alia quoque magistri opera commentariis et additamentis illustrasse ac perpolivisse videtur, quapropter Τυραννίων ὁ νεώτερος cognominatus est[7]). Ipse vero cum scripta sua haud dubie non hoc cognomine, sed vero nomine usus ediderit, non est mirum, quod non nisi apud Suidam apparent tum ὁ πρότερος tum ὁ νεώτερος Τυραννίων, apud ceteros ubique aut Tyrannio aut Diocles. Iunxit fortasse hic consuetudinem cum illo apud Murenam, Terentiae fratrem, filium eius Murenae, cui donatus et a quo manumissus erat Tyrannio Amisenus[8]).

Inter Pompei Graecos familiares[9]) notissimus est, qui patroni

---

1) V. Niese Herm. XIII. 1878. p. 43.

2) XII. p. 548. γραμματικὸς δὲ Τυραννίων οὗ ἡμεῖς ἠκροασάμεθα. XIII. p. 609.

3) Lucull. 19, 10. Sull. 26.

4) De somn. IV, 70.

5) Schol. Od. ξ, 132. τ, 457. Schol. B Il. X, 208.

6) H. e. Pamphilus, ut ex antecedentibus apparet.

7) Ex magistri cognomine cognominatus esse dicitur Diodorus Κρόνος (v. Strab. XVIII. p. 838, cuius loci me commonefecit Marxius). Cf. etiam supra p. 360. n. 3.

8) Plut. Lucull. 19, 10.

9) Demetrio Gadarensi, famoso illi Pompei liberto, locus hic non est, quia in litteris aliquid praestitisse eum non traditur. Falsus est Forcellinius, qui in Onomastico (s. v. XXXVII) scribit: „*D. Pompei lib. aliquo litterarum honore commendatus teste Plinio H. N. XXXV. §. 200*“. Locum ex parte supra iam exscripsi: „*talemque* (*cretatum*) *Publilium . . . Manilium . . . Staberium Erotem . . . videre proavi. Sed quid hos referat aliquis litterarum honore commendatos? Talem in catasta videre Chrysogonum Sullae, Amphionem Q. Catuli, Hectorem L. Luculli,*

res gestas descripsit, **Theophanes Mytilenaeus,** de quo rebus, quae iam enucleatae sunt a viris doctis[1]), addenda non habeo.

Lenaeus *„Magni Pompei libertus et paene omnium expeditionum comes defuncto eo filiisque eius schola se sustentavit docuitque in Carinis ad Telluris, in qua regione Pompeiorum domus fuerat, ac tanto amore erga patroni memoriam extitit, ut Sallustium historicum, quod cum oris probi animo inverecundo scripsisset, acerbissima satura laceraverit . . . traditur autem puer adhuc Athenis subreptus refugisse in patriam perceptisque liberalibus disciplinis pretium suum retulisse, verum ob ingenium atque doctrinam gratis manumissus"*[2]). Unicum hoc est de vita eius testimonium[3]). Quando Athenis subreptus sit, non dicitur; sed vix errabimus, si eum ut alios multos expugnatis Athenis a. C. 86 servum factum Romamque deductum esse suspicabimur. Puer cum tunc fuerit, anno fere 96 natus est, atque erat, cum Pompeium bello Mithridatico in Asiam sequeretur, vir triginta fere annorum. Superstes denique cum teste Suetonio fuerit Sexto quoque Pompeio, qui obiit a. C. 35[4]), ultra annum aetatis sexagesimum vixit. Sallustii liber, quo edito in historicum invectus est Lenaeus, procul dubio sunt Historiae. De harum originis tempore nihil constat nisi scriptas eas esse post Catilinam, primum Sallustii opus, editum 43/42. E Suetonii autem verbis maximeque illis: *„appellans et vita scriptisque monstrosum"* sequi videtur mortuum lacerasse Lenaeum. Nec vero minus res postulat, ut saturam istam non conditam esse cogitemus intermisso longiore post editum Sallustii librum temporis spatio, sed quam celerrime subsecutam. Itaque fortasse hic sublucet vestigium, quo ducti post demum mortem scriptoris prodiisse historias conicere possimus.

Liberti Pompei non fuerunt qui in domo eius docebant **Aristodemi Nysaei**, de quibus Strabo[5]) memorabiles enumerans viros e Nysa Cariae oppido oriundos haec refert: . . . καὶ Μενεκράτης ᾿Αρι-

---

Demetrium Pompei . . . Hipparchum M. Antonii, Menam et Menecratem Sexti Pompei aliosque deinceps, quos enumerare iam non est sanguine Quiritium et proscriptionum licentia ditatos?" — Apparet enuntiatum illud maximeque verbum *„hos"* falso relatum esse a Forcellinio ad insequentes, cum respiciat antecedentes. Hos autem tractare alienum a nobis et historici est.

1) V. Mueller F. H. G. III. p. 312. Lapidum Mytilenaeorum testimonium addidit Cichorius Rom u. Mytilene p. 6 sq. Nuper de eodem viro egit W. Fabricius Theophanes u. Dellius als Quellen Strabos, Argentor. 1888.

2) Suet. gr. 15.

3) Plinii et Gellii locos, ubi extant eius fragmenta e translatis iussu Pompei in Latinum sermonem scriptis Mithridatis de venenis invenis apud Drumannum (G. R. IV. p. 556) Deest Plin. XXV. §. 63. Scriptum *„de herbis"*, quod teste eodem XXV. §. 5 ante C. Valgium solus condidit Lenaeus, fuisse puto inter translatos illos libros, cum pergat Plinius: *„Namque Mithridates etc."*.

4) Cf. Drumann l. l. IV. p. 558. n. 71.

5) XIV. p. 650.

στάρχου μαθητὴς καὶ Ἀριστόδημος ἐκείνου υἱός, οὗ διηκούσαμεν ἡμεῖς ἐσχατογήρω νέοι παντελῶς ἐν τῇ Νύσῃ καὶ Σώστρατος δὲ ὁ ἀδελφὸς τοῦ Ἀριστοδήμου καὶ ἄλλος Ἀριστόδημος ἀνέψιος αὐτοῦ ὁ παιδεύσας Μάγνον Πομπήιον ἀξιόλογοι γεγόνασι γραμματικοί· ὁ δ' ἡμέτερος καὶ ἐρρητόρευε καὶ ἐν τῇ Ῥόδῳ καὶ ἐν τῇ πατρίδι δύο σχολὰς συνεῖχε, πρωὶ μὲν τὴν ῥητορικήν, δείλης δὲ τὴν γραμματικὴν σχολήν· ἐν δὲ τῇ Ῥώμῃ τῶν Μάγνου παίδων ἐπιστατῶν ἠρκεῖτο τῇ γραμματικῇ σχολῇ. Distinguendi igitur duo sunt huius nominis grammatici affines: alter Pompei magister (maior haud dubie natu), alter Menecratis filius, Pompei filiorum praeceptor, quem etiam Strabo Nysae audivit. Quo tempore Aristodemus maior Romae docuerit, adumbrare tantum possumus: inter annos a. C. 100 et 90, cum Pompeium adulescentulum septendecim annorum prima stipendia fecisse constet[1]. Menecratis filium ibi docuisse inter annos 60 et 50[2] inde collegit Clinton[3], quod Strabo Aristodemum audivit, qui tertius fuit, si hominum genera spectas, inde ab Aristarcho. Nobis certum iacet argumentationis fundamentum, cum Nieseus[4] a. C. 63 natum esse Strabonem demonstraverit. Atqui erant Pompeio filii duo et filia[5], et Sextum quidem fratrum minorem natum esse 75 constat, Gnaeus maior in lucem editus est inter annos 78 et 76, grammatico igitur praeceptore uti potuerunt annis 65 — 60, intra quos Romam venisse videtur Aristodemus. Multifariam enim traditum est[6] Pompeium et in ipso bello piratico et confecto bello Mithridatico a. C. 62 Rhodum adiisse omnesque ibi sophistas audivisse[7], testatur autem Strabo Rhodi quoque scholam habuisse Aristodemum. Ibi Pompeium arbitror cognovisse grammaticum et affinem ipsius magistri secum Romam duxisse ad erudiendos filios, quorum minor Sextus decimum tunc tertium agebat annum. Quoniam vero Strabo νέος παντελῶς illum senem Nysae audivit, reliquerat interea Romam Aristodemus, neque cur reliquerit, causa difficilis inventu: annis 50/49 turbata est urbs tumultu interno paulloque post flagrabant Italia et Graecia civilis belli incendio. Tunc Romam domumque Pompei deseruit patriamque petivit, ubi discipulus eius factus est Strabo admodum adulescentulus inter annos 49 et 45; atque Aristodemus cum ἐσχατογήρως iam fuerit, natus est anno fere 130. — Nomine addito quae extant eius fragmenta, invenis apud Muellerum[8]. Unum tamen, quod maioris est ambitus ex

---

1) Drumann IV. p. 325.
2) Falsus legitur apud Muellerum (F. H. G. III. 307) numerus 60—40.
3) Fast. Hellen. III. p. 554. Strabonem natum esse putat a. C. 60.
4) Herm. XIII. p. 37 sqq. Mus. Rhen. XXXVIII. p. 567 sqq.
5) Drumann IV. p. 558.
6) Videas locos apud Drumannum IV. p. 411. n. 70.
7) Notissima est de Posidonio narratiuncula.
8) L. l. Aristodemum laudatum in Ioannis Doxopatri prolegg. ad Hermog. (Walz Rhett. gr. VI. p. 25): πέμπτη δὲ (ῥητορικὴ τέχνη) ἡ κο-

Historiis a Parthenio[1]) servatum, utri tribuendum sit Aristodemo, non liquet. De interpretatione huius grammatici Homerica agemus in epimetro.

Ut Pompeius debellato Mithridate a. 62 circumiens Asiae insularumque civitates poenaque vel praemio afficiens liberavit Mytilenaeos in unius Theophanis gratiam[2]), prorsus ita quattuordecim annos post debellato Pompeio Caesar libertate donavit Cnidios Graeci caussa familiaris, Θεοπόμπῳ τῷ συναγαγόντι τοὺς μύθους χαριζόμενος[3]). Multum valuisse apud Caesarem **Theopompum Cnidium** Strabo[4]) quoque testatur: καθ' ἡμᾶς δὲ Θεόπομπος ὁ Καίσαρος τοῦ Θεοῦ φίλος τῶν μεγάλα δυναμένων καὶ υἱὸς Ἀρτεμίδωρος. Hunc Theopompi filium esse **Artemidorum** illum, qui auctore Plutarcho[5]) Ἑλληνικῶν λόγων σοφιστὴς καὶ διὰ τοῦτο γεγονὼς ἐνίοις συνήθης τῶν περὶ Βροῦτον, ὥστε καὶ γνῶναι τὰ πλεῖστα τῶν πραττομένων Caesari Idibus Martiis in senatum eunti tradidit libellum, in quo patefacta erant omnia, colligendum esset et credendum, etiamsi non diserte hoc referret Appianus[6]): Ὁ δὲ ἐν Κνίδῳ γεγονὼς αὐτῷ ξένος Ἀρτεμίδωρος ἐς τὸ βουλευτήριον ἐσδραμὼν εὗρεν ἄρτι ἀναιρούμενον (Caesarem). Filius igitur una cum patre Caesaris consuetudine et familiaritate Romae fruebatur. Vixisse enim tunc etiam Theopompum scimus e Cicerone[7]): *„Sextius apud me fuit et Theopompus pridie. Venisse a Caesare narrabat litteras* (scil. ex Hispania, ubi Pompei filios ille debellavit) *hoc scribere sibi certum esse Romae manere"* (scil. *me*, sicut apparet ex insequentibus). Per Theopompum igitur cum Cicerone egisse quodammodo videtur absens Caesar. Post mortem patroni quae ei acciderint, idem docet Cicero[8]): *„Theopompum nudum expulsum a Trebonio confugere Alexandream neglexistis"* (crimini hoc

λακευτική, ἡγήσατο Δημάδης καὶ Ἀριστόδημος non esse puto hunc rhetorem et grammaticum. Intellegere malim historicum, cuius fragmentum satis amplum adulatione Atheniensium refertissimum e codice Parisino excussum legitur apud Muellerum F. H. G. V. p. 1, de quo valde dissentiunt viri docti (cf. Wachsmuth. in Mus. Rhen. XXIII. p. 303 sqq. et Matthias Das Fragment d. Aristodem, Gothae 1874). At ne lectio quidem certa est, immo Ἀριστόβουλος traditur Rhett. gr. III. p. 610, quam scripturam Mueller (Scriptt. Alex. M. p. 94) cum probet, Aristobulum Cassandrensem temere adnumerat Alexandri Magni adulatoribus. Omnino autem de historico sermo esse non videtur, sed de oratore et de alio quidem demagogo, qui similis erat vel certe videri poterat Demadi, quapropter nescio an utraque scriptura falsa et cum Susemihlio l. l. I. p. 540. n. 58 (cf. p. 904) restituendum sit Εὔβουλος.

1) C. 8.
2) Plut. Pomp. 42. Vell. Pat. II, 18.
3) Plut. Caes. 48.
4) XIV. p. 656.
5) Caes. 65.
6) B. C. II, 116.
7) Ad Att. XIII, 7, 1 (a. 45).
8) Phil. XIII, 33.

inter alia senatui et optimatibus a Caesarianis datum). „*Magnum crimen senatus! De Theopompo summo homine neglcximus, qui ubi terrarum sit, quid agat vivat denique an mortuus sit, quis aut scit aut curat?*“ Esse hunc Caesaris hospitem et familiarem confirmant antecedentia: „*Securi percussos Petrum et Menedemum*[1]) *civitate donatos et hospites Caesaris laudastis*“, quibus adiungitur Theopompus. Inde quod Alexandream confugit, suspicari fortasse licet eum, antequam Romam venerit, ibi degisse.

Plutarchus vocat Theopompum cυναγαγόντα τοὺc μύθουc, unde et titulus libri „Cυναγωγὴ μύθων“ elici potest et notissimum atque lectitatum eum fuisse Plutarchi temporibus colligendum est. Nec tamen certa huius scripti vestigia detegere contigit[2]).

---

1) „*Nequissimos Graeculos*“ increpat Cicero. De quibus aliunde nihil compertum habemus.

2) De fragmentis enim Theopompi nomine traditis 339. 340. 342 M., quae mythographo Theopompo tribuit Welcker Ep. Cycl. I[1]. p. 29 sq. (I[2]. p. 27 sq.) n. 33, res admodum incerta est. Verum tamen ex parte quidem vidit vir clarissimus, cum diceret: „Auch setzt vielleicht Tzetzes zu Lycophr. 174, wo er die Teilung der Länder unter die Sonnensöhne Aeetes und Aloeus aus Eumelos anführt, irrtümlich Χῖοc zu dem Namen (Theopomp): der des Pindar Ol. XIII, 74, der dieselben Verse anführt . . . hat es nicht“. Aliter tamen se habet res: hoc quidem Theopompi fragmentum sicut legitur apud Muellerum (fr. 340) desumptum a Tzetze ad Lycophr. l. l. omnino non est Theopompi neque Chii neque alius, sed aliud Theopompi (sine Chii cognomine) fragmentum in illo Pindari scholio (veteriorum quod est) extat hoc: τὴν δὲ Μήδειαν ἐραcθῆναι Cιcύφου φηcὶ Θεόπομποc· ἄλλωc κ. τ. λ. Pessime enim erravit Tzetzes vel auctor eius, qui hinc sua sumpsit, referens illud ἄλλωc etiam ad antecedens Θεόπομποc, addito insuper suo arbitratu ὁ Χῖοc. Iam haec de Medea narrata, quae singularia sunt neque alibi inveniuntur, possunt esse Chii historici, qui quamquam teste Diodoro IV, 1 ἀπέcτη τῶν παλαιῶν μύθων, propriam igitur archaeologiam nec praemisit nec innexuit operi, tamen hic illic in enarrandis rebus etiam ad antiquissima fabulosaque tempora reduxisse videtur legentes; possunt igitur eius esse, praesertim cum, ut me monuit Maassius, et Medea et Sisyphus numina sint a Corinthiis culta antiquissima. Attamen suborta mihi est dubitatio anne sit haec de Medea fabulae forma falsa interpretatio versus Euripidei (Med. 400 sqq.)

ἀλλ' εἶα φείδου μηδὲν ὧν ἐπίcταcαι
Μήδεια βουλεύουcα καὶ τεχνωμένη·
ἕρπ' εἰc τὸ δεινόν· νῦν ἀγὼν εὐψυχίαc·
ὁρᾷc ἃ πάcχειc; οὐ γέλωτα δεῖ c' ὀφλεῖν
τοῖc Cιcυφείοιc τοῖc τ' Ἰάcονοc γάμοιc
γεγῶcαν ἐcθλοῦ πατρὸc Ἡλίου τ' ἄπο,

ita quidem orta, ut Cιcύφειοι γάμοι iuxta Ἰάcονοc male sint intellecti de ipsa Medea, non ut debent, de nuptiis Glauces et Iasonis. Erroris autem huius ineptissimi arguere Chium historicum nefas est, arguere eius mythographum, qui quattuor fere saeculis post ad componendam μύθων cυναγωγήν e veteribus poetis et pedestris orationis scriptoribus nova inprimis atque exquisita, ut doctrinam ostenderet, expiscari studuit, si probabiliter illud coniecisse videor, nemo, opinor, dubitabit. Itaque nescio

Adiuvisse Caesarem in fastis corrigendis (a. 45) **Sosigenem mathematicum** testis est Plinius[1]): „*his* (tribus sectis Chaldaeae Aegyptiae Graecae) *addidit quartam apud nos Caesar dictator annos ad solis cursum redigens singulos Sosigene perito scientiae eius adhibito . . . Et Sosigenes ipse trinis commentationibus, quamquam diligentior ceteris, non cessavit tamen addubitare ipse semet corrigendo*"[2]). Laudatur praeterea semel[3]) de Mercurii sidere.

Docuit Romae etiam **Asclepiades Myrleanus**. Testis est Suidas, cuius in glossa multos labores multamque operam consumpsere viri docti[4]): Ἀσκληπιάδης Διοτίμου Μυρλεανός· πόλις δέ ἐστι Βιθυνίας ἡ νῦν Ἀπάμεια καλουμένη· τὸ δὲ ἀνέκαθεν ἦν Νικαεύς· γραμματικὸς μαθητὴς Ἀπολλωνίου· γέγονε δὲ ἐπὶ τοῦ Ἀττάλου καὶ Εὐμενοῦς τῶν ἐν Περγάμῳ βασιλέων· ἔγραψε φιλοσόφων βιβλίων διορθωτικά· ἐπαίδευσε δὲ καὶ εἰς Ῥώμην ἐπὶ Πομπηίου τοῦ μεγάλου καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπὶ τοῦ δ´ Πτολεμαίου νέος διέτριψε· ἔγραψε πολλά. Duos hoc loco confusos esse homines iamdudum intellectum est, et eorum natu quidem maiorem non et ipsum fuisse Myrleanum[5]) demonstravit Lehrsius; ad hunc autem referenda esse verba μαθητὴς — διορθωτικά et si δ´ numerus recte traditus est, etiam καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ — διέτριψε patet. Sin pro δ´ cum Reinesio θ´ restituere malimus, tamen non tam Alexandrinorum quam Pergamenorum rationem secutus est Myrleanus, quapropter incertissima est, quamvis facillima sit, haec mutatio[6]). Sed utut haec se habent, certe maior Asclepiades ille a proposito nostro alienus est; minor hic Myrlea urbe patria relicta Romae tempore Pompei artem grammaticam docuit et, si quid video, inde demum profectus etiam, id quod narrat Strabo[7]), in Turdetania: nam artissime haec provincia coniuncta erat cum populo Romano plenaque Roma-

---

an hic pateat illius operis vestigium. Iam fabularum compendium, quo Diodorus usus sit in libro quarto, scriptum inter annos fere a. C. 100 et 44 a viris doctis (v. Bethe Quaestt. Diodor. mythogr. diss. Gotting. 1887. p. 94 sqq.) exploratum est: en habemus eiusmodi librum a Caesaris familiari conditum.

1) H. N. XVIII. §. 211.

2) Cf. praeterea Plut. Caes. 59. Macrob. Sat. I, 14, 2. 15, 9.

3) Plin. II. §. 39.

4) Lehrs Herodian. p. 428. Mueller F. H. G. III. p. 298. Rohde Mus. Rhen. XXXIII. p. 173. (n. 4). XXXIV. p. 571. n. 1. Daub Ann. phil. Suppl. XI. p. 457 sq. Susemihl l. l. II. p. 15 sqq.

5) Vel certe nullum nobis mansisse vestigium rei tam singularis, qualis sunt duo grammatici eiusdem nominis ex eadem urbe oriundi. Duos Aristodemos Nysaeos accurate, ut vidimus, distinguit Strabo, de uno tantum Myrleano loquitur Asclepiade (v. n. 7), non novit alterum.

6) Ergo num recte Bernhardyus ante ἐπαίδευσε posuerit lacunae signum, dubium est: verbis solis ἔγραψε πολλά post antecedentia ἔγραψε — διορθωτικά haec coniectura quadamtenus commendatur.

7) III. p. 157.

norum colonorum[1]). In scriptis eius nosci posse, sicut dixi, aliquotiens Crateteae disciplinae asseclam contra Lehrsii dubitationes recte contendit Wachsmuthius[2]), in eo tamen falsus, quod discipulum vocat Myrleanum Cratetis, id quod longe abhorret a temporum ratione[3]).

L. Crassitius *„genere Tarentinus ordinis libertini Pasicles mox Pansam se transnominavit. Hic initio circa scaenam versatus est, dum mimographos adiuvat; deinde in pergula docuit, donec commentario Zmyrnae edito adeo inclaruit, ut haec de eo scriberentur:*

Uni Crassitio se credere Zmyrna probavit,
desinite indocti coniugium hoc petere!
soli Crassitio se dixit nubere velle,
intima cui soli nota sua exstiterint.

Sed cum ** [4]) *et doceret iam multos et nobiles, in his Iulum Antonium triumviri filium, ut Verrio quoque Flacco compararetur, dimissa repente schola transiit ad Q. Sexti philosophi sectam“*[5]).

E verbis ultimis certiorem temporis notam non lucramur[6]), verum inde, quod magister nominatur grammaticus Iuli Antonii, qui natus a. C. 44 Romae ab Octavia educabatur[7]); itaque in domo Octaviae anno fere 30 iam docuit Crassitius. Commentarium illum, quo innotuit, antea eum scripsisse et edidisse apparet: quando (utrum vivo Cinna an iam mortuo)[8]), diiudicari nequit, cum Philargyrii[9]) verba *„ut nonnulli eius aetatis grammatici in eam (Zmyrnam) scripserint“* nimis sint in universum dicta. Quem mimographorum adiuverit, otiosum est quaerere. Sed contra omnem temporum rationem arcessiverunt[10]) Philistionem, qui teste Hieronymo floruit p. C. 8. Rectius, si quem volumus nominare, licet Publilium, qui *„a. C. 43 Romae scaenam tenet“* (Hieronym.) vel, qui paullo ante floruit, Labe-

---

1) Strab. III. p. 141 sqq.
2) De Cratete Mallota p. 6. n. 4.
3) Quis fuerit Asclepiades, qui περὶ ἀξόνων τῶν Cόλωνος scripsit, vituperatus a Didymo (Plut. Sol. 1), nescio. Eundem tamen esse censeo Asclepiadem laudatum schol. Pind. Nem. II, 19 περὶ κατακληρουμένων τὴν Cαλαμῖνα, praesertim cum mox adiciatur Didymi sententia diversa.
4) Lacunam statuit editor. Supplendum fortasse ex antecedentibus: „inclaruisset“.
5) Suet. gr. 18.
6) De Sexti aetate v. Zeller III[3], 1. p. 677. Delendum vero quod accidit viro doctissimo de Crassitio (n. 2) dicenti: ein Grammatiker, der sich bereits als Lehrer, besonders in Smyrna einen bedeutenden Namen erworben hatte.
7) Cf. Kiessling Prolegg. ad Horat. C. IV, 2.
8) Obiisse Cinnam a. 44 probavit Kiesslingius in Comment. Mommsen. p. 353.
9) Ad Vergil. Ecl. IX, 35.
10) Teuffel R. L.-G. §. 254, 6.

rium, vel utrumque, quoniam „mimographos" adiuvisse dicitur Crassitius.

De **Timagene** historico disputavit Muellerus[1]). Quando mortuus sit, nescitur; tamen ante Asinium Pollionem[2]) eum vita decessisse crediderim, quia *„consenuisse in contubernio Pollionis"*[3]) atque in eius Albano[4]) perhibetur obiisse. Scholam eius suscepit

Asinius Pollio Trallianus, de quo confusam, ut solet, exhibet Suidas glossam: quae quomodo in ordinem redigi posse videatur, indicabo:

Πωλίων ὁ Ἀσίνιος χρηματίσας Τραλλιανὸς σοφιστὴς [καὶ φιλόσοφος] σοφιστεύσας ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Πομπηίου τοῦ μεγάλου καὶ διαδεξάμενος τὴν σχολὴν Τιμαγένους· ἔγραψε Ἐπιτομὴν τῆς Φιλοχόρου Ἀτθίδος, [Ἀπομνημονεύματα Μουσωνίου τοῦ φιλοσόφου, Ἐπιτομὴν τῶν Διοφάνους γεωργικῶν . . . πρὸς Ἀριστοτέλην] περὶ τοῦ ἐμφυλίου τῆς Ῥώμης πολέμου, ὃν ἐπολέμησαν Καῖσάρ τε καὶ Πομπήιος. Iam sequitur alius Pollio Alexandrinus philosophus, quem subindicatum esse puto in initio prioris glossae verbis καὶ φιλόσοφος, Hadriani aequalis, cuius sunt scripta philosophica uncis inclusa. Praeterea offendere potes in synchronismo ἐπὶ Πομπηίου τ. μ., quoniam qui Timagenis scholam continuavit, floruit sub Augusto. Sed videtur sumpta esse haec temporis nota e titulo libri de bello civili inter Caesarem et Pompeium gesto[5]).

Augusteam attigimus aetatem. Primo loco nominandi sunt viri illi notissimi, quorum ex parte quidem scripta adhuc extant, **Diodorus Dionysius Halicarnassensis Caecilius Hyginus Strabo**: de quibus quae explorata habemus augere nequeo, repetere nolo. De Strabone unum adiungam. Quamquam enim assentior Niesei de aetate geographi disputationibus[6]), tamen Romae scripta esse geographica, quamvis per se sit probabile, revera adhuc probatum esse recte Haeblerus negavit[7]). Eis, quae ab hoc didicimus, extemplo utendum est ad corrigendam Muelleri de **Nicolai Damasceni** vita et scriptis disputationem[8]). Etenim si ex ipsius Nicolai verbis de

---

1) F. H. G. III. p. 317. Timagene usum esse Pompeium Trogum probare studet Gutschmidius in Mus. Rhen. XXXVII. p. 548 sqq.

2) I. e. ante annum p. C. 5: falsus enim extat numerus 755 pro 758 apud Muellerum p. 319 (not.).

3) Sen. de ir. III, 23.

4) Certa haec est Hemsterhusii emendatio traditae codicum scripturae Δαβάνῳ.

5) Ipsum sane librum sine dubio consulari esse vindicandum constat. Graecam historiam, quam Ῥωμαϊκῶς primus condidisse hic dicitur a Suida s. v., revera libertum conscripsisse in usum patroni cum H. Petero (Annal. phil. CXIX. p. 421 sqq.) veri duco simile. Praeterea eidem concedo epistulam Πωλίωνος πρὸς Σωτηρίδαν (Pamphilae doctae mulieris patrem) tribuendam videri liberto. De Historiis dubito.

6) Locis laudatis supra p. 378. n. 4.

7) V. quae contra Nieseum monuit Herm. XIX. 1884. p. 235.

8) F. H. G. III. p. 343 sqq. De philosopho Nicolao v. Zeller III³, 1. p. 629.

Octaviano studiorum causa Apolloniam profecto: ὁ νέος Καῖσαρ ἐνταυθοῖ ἐπεδήμει collegit vir doctissimus Apolloniae, non Romae ultimam vitae partem degisse historicum, certe „Vitam Augusti" ibi scripsisse, obvertemus, quod Nieseo obvertit Haeblerus, nihil eiusmodi his temporibus demonstrari harum particularum usu[1]). Certi igitur quicquam de ultimis Nicolai annis, ubi degerit historiam scripserit obierit (utrum Romae an alibi), stabiliri nequit.

Nec minus incerta est res de **Iuba** Mauretaniae rege[2]), quonam mortuus sit anno, atque manebit incerta, donec sciatur, quando Strabonis liber septimus decimus scriptus sit, ubi leguntur verba: Ἰούβας μὲν νεωστὶ ἐτελεύτα τὸν βίον. Conditam esse alteram geographicorum partem p. C. 19 demonstrare studet Nieseus[3]), ut ante hunc annum vita decesserit Iuba: id quod respuere videntur nummum testimonia, quibus nisus Ruehlius p. C. 23 demum obiisse hunc regem contendit[4]) probante H. Petero[5]). Itaque nobis res in medio relinquenda est.

Scribonius Aphrodisius „*Orbili servus atque discipulus mox a Scribonia Libonis filia, quae prior Augusti uxor fuerat, redemptus et manumissus docuit quo Verrius tempore, cuius etiam libris de orthographia rescripsit non sine insectatione studiorum morumque eius*"[6]). Habes mordax Orbilii genus! Verba sicut leguntur: „*Scribonia, quae prior Augusti fuerat uxor*" indicare videntur divortio facto emptum esse a Scribonia Aphrodisium post annum a. C. 39, quo repudiavit Octavianus anno ante ductam[7]). Alius ni fallor fuit, quamquam tempora conveniunt, mathematicus Scribonius, qui de infante Tiberio spopondit „*etiam regnaturum quandoque sed sine regio insigni — ignota scilicet tum adhuc Caesarum potestate*"[8]).

Sphaerus Augusti erat paedagogus teste Dione[9]): ταῦτά τε οὖν ἐν τῷ ἔτει ἐκείνῳ (a. C. 40) ἐπράχθη καὶ Σφαῖρον ὁ Καῖσαρ παιδαγωγόν τε καὶ ἐξελεύθερον αὐτοῦ γενόμενον δημοσίᾳ ἔθαψε. Octavianus cum 63 natus sit, annis fere 57/55 iam Romae fuit Sphaerus atque haud exiguam sibi paravisse videtur apud discipulum gratiam et amorem.

Iulius Marathus, Augusti libertus, de patrono librum edidisse

---

1) Similiter et nos vernaculo sermone particulam „hier" usurpamus.
2) Mueller F. H. G. III. p. 465 sqq. H. Peter Über den Wert der histor. Schriftstellerei von König Iuba II. v. Mauret. in programmate scholae Misniensis anni 1879 p. 1—14.
3) Herm. XIII. p. 35. Ipse v. d. longiore in adnotatione de hac re disputans se verum nondum videre tunc fassus est.
4) Das Todesjahr Iuba's II., Annal. philol. CXVII (1878). p. 542 sqq.
5) L. l. p. 1.
6) Suet. gr. 19.
7) Dio Cass. XLVIII, 34.
8) Suet. Ti. 14.
9) XLVIII, 33.

dicitur a Suetonio[1]): „*staturam* (*habuit Augustus*) *brevem, quam tamen Iulius Marathus libertus* † *etiam memoriam eius quinque pedum et dodrantis fuisse tradit*". Priusquam hunc locum expediam, alter adiciatur[2]): „*auctor est Iulius Marathus ante paucos quam nasceretur* (*Augustus*) *menses prodigium Romae factum publice quo denuntiabatur regem populo Romano naturam parturire, senatum exterritum censuisse, ne quis illo anno genitus educaretur, eos qui gravidas uxores haberent, quod ad se quisque spem traheret, curasse ne senatusconsultum ad aerarium deferretur*". Iam sequitur de Atiae cum dracone concubitu narratio ex Asclepiadis Mendetis Θεολογουμένων libro, de quo infra dicemus. Loco priore traditam scripturam: „*Iulius Marathus libertus etiam memoriam eius . . . tradit*" corruptam esse apparet. Coniecit Lipsius: „*libertus et a memoria eius*", quod Rothius in textum recepit. Sed quamvis arrideat coniectura, num vera sit, dubito. Primum enim huius „a memoria" officii testimonia Caracallae demum temporibus inveniri statuit Friedlaenderus[3]), deinde desiderari puto scriptore nominato etiam libelli commemorationem: quapropter in verbo: „*memoriam*" hunc latere existimo libellum (ὑπόμνημα) et accipio, quia quod flagito praebet, lectionem editionis Panckouckianae: *I. M. libertus in „Memoria" eius . . . tradit*[4]). Scripta esse talia de statura principis post eius obitum manifestum est[5]).

Similia miracula de Augusto narravit in Θεολογουμένων libro **Asclepiades Mendesius,** quem Romae fuisse etsi diserte traditum non est, tamen ex fragmento, quod servavit Suetonius[6]), concludimus. Narratum ab eo hoc loco legimus de Atiae cum dracone in templo Apollinis concubitu, de eius patrisque Octavii somniis, unde et quia decimo mense natus est, Apollinis filius putabatur Augustus[7]). Talia certo quodam conscripta consilio, ad efferendum evehendumque Divum Augustum, cuius in domo omnia fierent divinitus[8]), edita

---

1) Aug. 79, cf. 94.

2) Ibid. 94. Cf. Usener Religionsgeschichtl. Unters. I. p. 73 et 78.

3) Sittengeschichte Roms I^5. p. 169.

4) Mos memorias conscribendi tunc videtur fuisse usitatior. Ipse Augustus „*etiam vitae memoriam* (*Drusi*) *prosa oratione composuit*" (Suet. Claud. 1). Porro idem de vita sua ipse quaedam scripsit Cantabrico tenus bello (Suet. Octav. 85), quae laudata Serv. Verg. Buc. IX. 46 (*Augustus in libro II de memoria vitae suae*) et Aen. VIII, 696 („*Augustus in commemoratione vitae suae*") continuata forsitan sint a liberto, ut Sullae ὑπομνήματα continuavit Epicadus. Denique etiam Agrippina, Neronis mater „*vitam suam et casus suorum posteris memoravit*" (Tac. Annal. IV, 53).

5) Cf. Suet. Aug. 89. 6) Ibid. 94.

7) Idem esse videtur Asclepiades apud Steph. Byz. s. v. Νάξος, qui tradidit Iunonem feminis Naxiis dono dedisse ὀκτόμηνα τίκτειν: nam haec sapiunt eundem librum.

8) Quam aliter alii senserint, indicat versus iste de Livia per Urbem decantatus τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία (Suet. Claud. 1).

esse aut vivo adhuc principe prodigiorum ostentorum miraculorum amantissimo[1]) aut paullo post eius obitum consentaneum est: quapropter aequalis fere Marathi hic Asclepiades est censendus.

Pro Dionysio Characeno, qui a Plinio[2]) vocatur „*terrarum orbis situs recentissimus auctor . . . quem ad commentanda omnia in orientem praemisit Divus Augustus ituro in Armeniam ad Parthicas Arabicasque res maiore filio*“ scribendum esse **Isidorum** Characenum iamdudum inter omnes constabat accuratiusque demonstravit Muellerus[3]). Maior filius est Tiberius, qui a. C. 20 ab Augusto in Armeniam cum exercitu missus est[4]). Ante hunc igitur annum iam Romae versabatur Isidorus.

Vipsanii libertus erat **Philargyrus**, qui notis Tironianis alias addidit teste Suetonio[5]): „*post eum (Tironem) Vipsanius Philargyrus et Aquila libertus Maecenatis alias addiderunt; denique Seneca etc.*“ Inter Tironem igitur et Senecam vixisse et aequalis Aquilae fuisse videtur Philargyrus, quare aptissime M. Vipsanius Agrippa, Augusti gener et amicus, eius existimatur patronus. Aquilam tradit Dio[6]) edidisse notas, quas invenerit Maecenas ipse. Sed hoc non credendum est, quia in eo iam fallitur scriptor, quod πρῶτον ἐξευρεῖν σημεῖά τινα γραμμάτων πρὸς τάχος Maecenatem dicit.

Habro grammaticus his temporibus adscribendus est. De quo haec legimus apud Suidam: Ἅβρων[7]) Φρὺξ ἢ Ῥόδιος γραμματικὸς μαθητὴς Τρύφωνος ἐσοφίστευσεν ἐν Ῥώμῃ· γεγονὼς δὲ ἐκ δούλων ὥς φησιν Ἕρμιππος. Trypho cum floruerit auctore eodem Suida s. v. κατὰ τοὺς Αὐγούστου χρόνους καὶ πρότερον, Augusti et Tiberii aequalis putandus est Habro. Duplex significatio Φρὺξ ἢ Ῥόδιος ita explicatur, ut natione Phryx Rhodi studiis vacaverit ibique innotuerit, atque cum de loco, ubi Trypho artem professus sit, nihil tradatur, hinc Rhodi eum docuisse colligo, quo fortasse secutus est Dionysium Thracem Alexandria emigrantem[8]). Praeceptoris vestigia

---

1) Suet. Aug. 92.
2) H. N. VI. §. 141.
3) Geogr. gr. min. I. p. LXXXI sqq.
4) Suet. Ti. 9. Dio LIV, 9.
5) De vir. illustr. 106. p. 136 R. Falso distinguere editorem puto verba: „*Vipsanius, Philargyrus et Aquila*“, quoniam per „*et*“ tertium non additur. 6) LV, 7.
7) Praestare Ἅβρων pro Ἄβρων recte adnotat Bernhardyus, cum ab ἁβρός derivatum esse nomen appareat (Fick Gr. Personennamen p. 3); saepe falso scriptum esse Ἄμβρων (Et. M. 624, 57) observavit Velsenius Tryph. p. 2. n. 3.
8) Iuniorem enim Dionysio fuisse Tryphonem testantur temporum notae traditae, neque obstat, quod in Dionysii arte grammatica (p. 29, 1 Uhlig) Thryphonis nomen exempli gratia invenitur, unde abiudicandam Dionysio τέχνην Lehrsius (Herodian. p. 438), ante Dionysium vixisse Tryphonem conclusit Velsenus (l. l. p. 5); recte oblocutus est M. Schmidtius (Philol. VIII. p. 510) probante novissimo τέχνης editore (p. LXXXVI), qui a posteriore manu pro alio nomine substitutum esse Τρύφωνα suspicatur.

haud aegre ex Habronis fragmentis cognosci posse iudicavit Velsenus[1]). Scripsit enim Habro Tryphonem secutus περὶ παρωνύμων, cuius libelli septem extant fragmenta apud Stephanum Byzantium, octavum in Schol. A Ε, 69; praeterea una cum Tryphone laudatur in Schol. Hes. Theog. 389 (fr. 92 V.) et dialectorum quoque studiis operam eum navasse secundum Tryphonis exemplum videre licet e Crameri Anecdotis Oxon. IV. p. 418, 20.

Inter Tiberii aequales et convictores Graeculos primus est nominandus **Thrasyllus,** mathematicus, quo familiarissime usus est princeps ita, ut solus exciperetur ille facto p. C. 16 senatusconsulto de mathematicis magisque Italia pellendis[2]). Et Platonis et Democriti opera ab eo in tetralogias esse dispertitas, omnibus notum est. Prolixe de eo disputaverunt C. F. Hermannus[3]) et Suckovius[4]).

Seleucum grammaticum apud Tiberium versantem[5]) eundem esse atque notum huius nominis Homericum τὸν λυτικόν probavit Maassius[6]), nec minus **Xenonem** Tiberii convictorem ibidem nominatum esse mutandum in Zenonem atque habendum pro Zenone Myndio veri reddidit simile[7]).

De **Diogene** quodam grammatico lepidam legimus apud Suetonium[8]) narratiunculam: *„disputare sabbatis Rhodi solitus (Diogenes) venientem eum (Tiberium), ut se extra ordinem audiret, non admiserat ac per servulum suum in septimum diem distulerat; hunc Romae salutandi sui causa pro foris adstantem nihil amplius quam ut post septimum annum rediret, admonuit"*. Factum hoc esse Romae necesse est inter annum p. C. alterum, quo octavo Tiberius postquam voluntario exilio Rhodum petivit, Romam rediit, et annum p. C. 26, quo ex Urbe Capreas secessit. Aliunde homo non notus, nisi idem est qui laudatur Schol. Θ, 296 et 441 εἰρωνευόμενον faciens Homerum Diogenes.

Tiberio regnante Romae vixisse et scripsisse **Apollonidem Nicaeensem** testis est Diogenes Laertius[9]): Ἀπολλωνίδης ὁ Νικαεὺς

Ceterum unde compertum habeat Christius (l. l. p. 524) Romae docuisse Tryphonem, nescio.

1) L. l. p. 2.
2) Tac. Ann. II, 32. Dio LVII, 15.
3) De Thrasyllo grammatico et mathematico. Ind. schol. Gotting. 1852/53.
4) Form der platonischen Schriften, Berol. 1855. p. 167 sqq.
5) Suet. Ti. 56.
6) De biogr. Gr. (Philol. Unters. III). p. 33 sqq. Suspicati hoc erant iam Meier Opusc. II. p. 33 et Beccard. l. l. p. 32. n. 4 et p. 68, suspicatus est etiam Crusius in ed. Plutarchi de proverb. libelli, Tubing. 1887. p. 16 non cognita Maassii dissertatione. Nunc v. etiam Bapp. Comm. in hon. O. Ribbeckii, Lips. 1888. p. 262 sqq.
7) Eodem loco.
8) Ti. 32.
9) IX, 109.

ὁ παρ' ἡμῶν[1]) ἐν τῷ πρώτῳ τῶν εἰς τοὺς σίλλους ὑπομνημάτων, ἃ προσφωνεῖ Τιβερίῳ Καίσαρι. Fuerunt commentarii in Timonis sillos[2]), quod genus poeseos si in deliciis habuit Tiberius, optime hoc quadrat ad indolem eius et naturam ingenii. Atque cum ad principem miserit libellum Apollonides, eius inter convictores fuisse ipsaque in aula versatus esse videtur[3]).

Ordinem claudat grammaticorum **Epitherses.** Qui cum sub Tiberio Romam navigaret, prodigium factum est, enarratum a Plutarcho[4]). Pater erat rhetoris Aemiliani[5]), atque, si idem est Epitherses apud Steph. Byz. s. Νίκαια, id quod suspicatus est Meinekeus[6]), popularis Apollonidis modo tractati.

III. De rhetoribus[7]).

Primus rhetorum Graecorum, qui post Gracchorum magistros Romam venerunt, quantum possumus videre, **Menedemus** fuit Atheniensis Antonii oratoris hospes. V. Cic. de orat. I, 19, 85 (ubi Antonius loquitur): „*Disputaverunt contra* (*Charmadam philosophum academicum*) *diserti homines Athenienses et in republica causisque versati, in quis erat etiam is, qui nuper Romae fuit, Menedemus, hospes meus*[8]). Romam igitur venit post annum 98, quo Athenis commoratus est Antonius, et ante annum 91, quo colloquentes finguntur dialogi personae.

Haud ita multo post, anno 81 **Apollonius Molon**[9]) Alabandensis, rhetor et grammaticus[10]), a Rhodiensibus legatus Romam missus

1) De interpretandis his verbis v. Wilamowitz. Antig. Caryst. p. 32 et Wachsmuth ed. Sillogr. p. 32 sqq.

2) V. Wilamowitz l. l. p. 31.

3) Alia eius scripta enumerat Mueller F. H. G. IV. p. 310. Addendus est locus Prisciani (in tractatu de figuris numerorum I, 6. II. p. 407 H.), ex quo apparere mihi videtur Apollonidem sicut Lucillum Tarrhaeum etiam περὶ γραμμάτων (vel π. στοιχείων) scripsisse.

4) De def. orac. 17. 419 B sqq.

5) Eiusdem, ut videtur, quem novimus e Sen. Controv. X, 5, 25.

6) Hist. crit. com. Graec. p. 15, ubi reliqua v. testimonia.

7) Ex parte conlecti iam sunt a Blassio (Geschichte d. griech. Beredsamk. von Alexander bis Augustus). Supplenda vero et emandanda restant haud exigua.

8) Quae secuntur de ipsa disputatione explicavit Blass. p. 96.

9) Μόλων cognominatus est ex patre, ut distingueretur ab Apollonio populari, qui ὁ μαλακός vocabatur (Strabo XIV. p. 655). Laudatur a scriptoribus idem vir Ἀπολλώνιος ὁ (τοῦ) Μόλωνος — Ἀπολλώνιος ὁ Μόλων — Μόλων. Cf. Diels Doxogr. p. 86: addendus inprimis est, quem Marxius ostendit, locus Porphyrii (ad I, 1 sqq., p. 126, 18 Schr.), a quo appellatur Ἀπολλ. ὁ τοῦ Μόλωνος. Praeterea v. Susemihl l. l. II. c. 35. n. 124.

10) Etiam grammaticae arti praeter rhetoricam otium dedisse Molonem e loco Porphyriano sequitur modo laudato: λύει δὲ τὴν ἀπορίαν αὐτὸς (Ὅμηρος), ὡς Ἀπολλώνιος ὁ τοῦ Μόλωνος παρίστησι κ. τ. λ. Utramque artem professus est etiam Aristodemus Nysaeus, qui ipse quoque Rhodi docuit. Cf. supra p. 378.

est[1]), cum iam antea ibi versatus esset a. 87[2]). Distinguendum esse inter hunc et Apollonium aequalem eius atque popularem nunc omnes consentiunt[3]); hunc autem Romae fuisse non traditur.

Ante Molonem nominari debuit, nisi certa de causa tractandus erat una cum homine posteriore, **Asclepiades** non rhetor quidem, sed disertus medicus, amicus Crassi oratoris. Hunc nescio unde Prusiensem vocant viri docti confusum cum clarissimo medico, Pompei aequali[4]). Res tamen satis plana. Etenim Plinius[5]) scribit haec: „*Durabat tamen antiquitas firma magnasque confessae rei vindicabat reliquias, donec Asclepiades aetate Magni Pompei orandi magister nec satis in arte ea quaestuosus, ut ad alia quam forum sagacis ingenii, huc se repente convertit* (*ad medicinam*)“, et scribit sine dubio de clarissimo illo medico Prusiensi saepius ei laudato, quem Romae fuisse legitur apud eundem alio loco[6]): *ad illum* (*Mithridatem*) *Asclepiadis medendi arte clari volumina composita extant, cum sollicitatus ex urbe Roma praecepta pro se mitteret*“. Iam nunc considera Ciceronis vel potius Crassi apud Ciceronem verba[7]): „*Nec si huic M. Antonio pro Hermodoro fuisset de navalium opere dicendum, non, cum ab illo causam didicisset, ipse ornate de alieno artificio copioseque dixisset. Neque vero Asclepiades is, quo nos medico amicoque usi sumus, qui tum*[8]) *eloquentia vincebat ceteros medicos in eo ipso, quod ornate dicebat, medicinae facultate utebatur*“. Haec a. 91 Crassus de Asclepiade suo narrat. Quid huic cum Prusiensi illo, qui Pompei aetate ab orandi magisterio se ad medicinam convertit? Immo mortuum iam esse virum, de quo Crassus loquitur, ex huius verbis esse concludendum recte adnotat Pideritius, eo magis sane propter confusionem in indice factam vituperandus. Maior igitur natu hic erat Asclepiades, ipse quoque medicus et homo disertus: quod in nomine apud medicos pervolgato nemo mirabitur, praesertim cum facile possis conicere patrem vel affinem Asclepiadis iunioris illum fuisse. Iam, si recte sentio, ipse Cicero, quem novisse aequalem celeberrimum Romae versantem patet, sic cum scriberet: „*Asclepiades is quo etc.*“ vocabulo „*is*“ hunc distinguere voluit ab illo, legen-

1) Cic. Brut. §. 312. Blass. p. 90 sq.

2) Cic. ibid. §. 307. Nisi recte haec seclusit Bakeus. Sed cum a. 87 Posidonius legatus Romae fuerit (Plut. Marius 45, 5), huic Rhodiorum legationi interfuisse Molonem cum Marxio veri duco simile.

3) V. Blass. l. l. Riese Mus. Rhen. XXXIV. p. 627 sqq.

4) Piderit in indice editionis s. v. Sprengel hist. med. II. p. 5 sqq. laudans in adnotatione Ciceronis locum. Haeser hist. med. I. p. 262. Christ hist. litt. graec.² p. 713. Veri aliquid sensisse videtur medicus doctus Florentinus Cocchius, attamen falsa ratione rem expedire conatus Plinio mendacium vel errorem imputavit probante Ernestio atque, ut videtur, etiam Orellio (in Onomastico Tulliano s. v.).

5) H. N. XXVI. §. 12. 6) XXV. §. 6.

7) De or. I, 14, 62.

8) Hanc lectionem unice veram recte recepit Pideritius. „*Cum*“ temporale ineptum est.

tibus tunc certe satis perspicuus, sed hoc quidem loco ipse partes agens, quamquam nullas sibi esse in hoc sermone dicit[1]). Nam hoc „*is*“ Cicero, non Crassus loquitur. Hominis ἀκμή inciderit necesse est in annum fere a. C. 100, ex Crassi autem verbis non sine probabilitate concludendum videtur eum antea iam per longius temporis spatium cum illo vixisse. Alter, notissimus medicus Prusiensis, philosophus idem Epicureae sectae addictus[2]), Antiochi Ascalonitae aequalis[3]), suprema in senectute cum mortuus sit[4]), Augusti etiam viderit principatum, unusque e discipulis eius principis medicus factus est M. Artorius Asclepiades Smyrnaeus[5]).

Xenocles Adramyttenus, quem Cicero in Asia audivit[6]), etiam Romae quondam fuit legatus a civibus missus teste Strabone[7]): ἀνὴρ δὲ Ἀδραμυττηνὸς ῥήτωρ ἐπιφανὴς γεγένηται Ξενοκλῆς τοῦ μὲν Ἀσιανοῦ χαρακτῆρος, ἀγωνιστὴς δὲ εἴ τις ἄλλος καὶ εἰρηκὼς ὑπὲρ τῆς Ἀσίας ἐπὶ τῆς συγκλήτου καθ᾽ ὃν καιρὸν αἰτίαν εἶχε Μιθριδατισμοῦ. Cum annis 79—77, quibus Cicero Asiam permigrabat, iam inter rhetorum principes numeratus sit[8]), de bello primo Mithridatico loqui videtur geographus, et hoc confecto inter annos 83 et 80 Romam venisse Xenoclem censemus[9]).

Reliqui rhetores Graeci, quos se audivisse ait Cicero Rhodienses Atticos Asianos[10]), Romae fuisse non videntur, sed singulos Rhodi Athenis Asiae oppida circumvagans eos audivit Cicero. Apud ipsum vero Romae versatur **Paeonius** rhetor, magister Ciceronis et Quinti fratris filiorum: ad Quint. fr. III, 3, 4 (a. 54): „*Cicero tuus nosterque summo studio est Paeonii sui rhetoris, hominis, opinor, valde exercitati et boni (sed nostrum instituendi genus esse paullo eruditius et* θετικώτερον *non ignoras*)[11]). *Quare neque ego impediri Ciceronis iter atque illam disciplinam volo, et ipse puer magis illo declamatorio genere*[12]) *duci et delectari videtur. In quo quoniam ipsi quoque fuimus, patiamur illum ire nostris itineribus*“. Marcus tunc erat puer undecim, Quintus duodecim annorum: hac igitur iam aetate, non demum cum in republica versari coepissent[13]), rhetoricis se exercebant pueri Romani.

---

1) Ad Att. XIII, 19, 4.
2) V. Zeller III^3, 1. p. 549 sqq. Cf. Usener Epicurea in indice s. v.
3) V. Zeller ibid. p. 597 et 598. n. 2.
4) Plin. N. H. VII. §. 124.
5) C. I. G. III. 3285.
6) Cic. Brut. §. 316 = Plut. Cic. 4. Strab. XIV. p. 660. Cf. Blass p. 69.
7) XIII. p. 614.
8) Cic. Brut. l. l.
9) Xenoclis nomen in Florilegio Monacensi 290 (IV. 285 M.) dubito an corruptum sit legendumque 'Xenocrates', cuius antecedit dictum. Philosophum enim Xenoclem aliunde non novimus.
10) Quos enumerat Blass p. 89 sqq.
11) Parenthesin posui, quia flagitatur sententiarum conexu.
12) Est intellegendum genus ὑποθετικόν; qua de distinctione cf. Cic. Top. 21, 79. Paradoxa prooem. 5.
13) Bernhardy Röm. Litt.-Gesch. p. 46.

Diodotus stoicus philosophus Ciceronis pueri magister, viri familiaris[1]), falso vocatur Metelli Nepotis in arte rhetorica praeceptor apud Plutarchum[2]): Διοδότῳ δὲ τῷ διδασκάλῳ τῶν ῥητορικῶν ἀποθανόντι κόρακα λίθινον ἐπιστήσαντος αὐτοῦ (Μετέλλου)· Δικαίαν, ἔφη, τὴν ἀμοιβὴν γεγονέναι· πέτεσθαι γὰρ τοῦτον, οὐ λέγειν ἐδίδαξεν. Contra in Ciceronis vita apud eundem[3]) legitur: Θάψας δὲ (Μέτελλος) Φίλαγρον[4]) τὸν καθηγητὴν ἐπιμελέστερον ἐπέστησεν αὐτοῦ τῷ τάφῳ κόρακα λίθινον· καὶ ὁ Κικέρων· Τοῦτ', ἔφη, σοφώτερον ἐποίησας· πέτεσθαι γάρ σε μᾶλλον ἢ λέγειν ἐδίδαξεν[5]). Utrum falsum sit facile diiudicatu: minime **Philagrus** pro Diodoto, perfacile autem hic pro illo substitui potuit ab homine, qui propriam scientiam male intulit: legit quaedam de Cicerone (Metelli nomen paullo remotius est), de magistro mortuo, atque cum similia de Diodoto sciret, hunc pro homine ignoto posuit. Philagrus autem iste Metelli in rhetoricis praeceptor idem esse mihi videtur ac Rhodiensis rhetor Philagrius, una cum Artamene Aristocle Molone nominatus a Dionysio[6]), ut qui Hyperidem secuti quidem, tamen non sint assecuti.

In Bruti contubernio versabantur (praeterire enim licet Heraclidem istum Temnitam, qui in Flacci causa una cum multis Graeculis testis Romam venit „*homo ineptus et loquax*“)[7]) **Empylus** et **Straton** rhetores. De illo haec tradit Plutarchus[8]): Ὁ δ' Ἔμπυλος, οὗ καὶ αὐτὸς (Βροῦτος) ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς καὶ οἱ φίλοι μέμνηνται πολλάκις ὡς συμβιοῦντος αὐτῷ ῥήτωρ ἦν καὶ καταλέλοιπε μικρὸν μέν, οὐ φαῦλον δὲ σύγγραμμα περὶ τῆς Καίσαρος ἀναιρέσεως, ὃ Βροῦτος ἐπιγέγραπται. Annis igitur 44/43 Romae

---

1) Drumann V. p. 230. n. 7. Zeller III, 1. p. 585.
2) Apophth. Cic. 7.
3) C. 26.
4) Φίλαρχον praebere unum codicem Moscoviensem testatur Wyttenbach Plut. Moral. I, 2. p. 813. n. 7.
5) Interpretandum esse hoc aliter puto atque interpretatus est Drumann II. p. 35. n. 1, qui de nimio Metelli orationis tumore intellegere videtur. Subesse enim opinor sub Graeco πέτεσθαι Latinum „*volitare*“ i. e. „iactare se cum impudentia et insolentia“, ut referatur non ad dicendi genus, sed omnino ad hominis naturam et mores. Vox est Ciceroni in deliciis habita: quater extat in oratione pro Sestio (v. Halm ad §. 1), plura affert Schuetz in indice latinitatis Ciceronianae. „*Volitat*“ Clodius, Catilina, in oratione Pisoniana (25) homo „*volitans*“ opponitur viro moderato et constanti. Eoque libentius sic interpretabimur, cum sciamus Metellum Ciceroni fuisse adversarium molestum atque odiosum (Drumann l. l.) et egregie in rem quadrent „*turbulentae contiones Metelli*“ (ad Att. IV, 3, 4) et quae „*intonuit vox perniciosa*“ eiusdem (pro Mur. 81). Dixit igitur Cicero: *volitare te docuit, non dicere.* Graecum πέτεσθαι hanc significationem non habet, sed verbum pro verbo fuit reddendum, ne acumen dicti obtunderetur.
6) De Din. 8.
7) Cic. p. Flacc. 18, 42.
8) Brut. 2.

degisse videtur. In servatis Ciceronis scriptis non invenitur, at non est dubitandum eundem esse Empylum Rhodium, cuius mentionem facit apud Quintilianum[1]): *„Cicero certe Graecorum Metrodorum Scepsium et Empylum Rhodium nostrorumque Hortensium tradidit, quae cogitaverant, ad verbum in agendo rettulisse"*. Empyli *„Brutum"* notum fuisse Plutarcho inde apparet, quod de eo iudicat, usum quoque eum esse hoc libro inde, quod bene de eo iudicat[2]).

De **Stratone**, Epirota, si credis Appiano[3]), idem Plutarchus[4]) auctor est admodum locuples: post pugnam Philippicam Brutus moriturus ἀνεχώρησε μετὰ δυεῖν ἢ τριῶν, ἐν οἷς ἦν καὶ Στράτων ὁ ἀπὸ λόγων ῥητορικῶν γεγονὼς αὐτῷ συνήθης. Hic homo primas fere agit partes in Plutarchi de Bruti morte narratione: mirum in modum iterum atque iterum a Bruto ad Stratonem ducimur. Legas ipse, quomodo pergat Plutarchus: Καὶ τοῦτον (τὸν Στράτωνα) ἔγγιστα παραστησάμενος ἑαυτῷ καὶ τὸ ξίφος γυμνὸν ἐπὶ τῆς λαβῆς ταῖς χερσὶν ἀμφοτέραις ἐρείσας καὶ περιπεσὼν ἐτελεύτησεν. Οἳ δέ φασιν οὐκ αὐτὸν ἀλλὰ τὸν Στράτωνα πολλὰ πάνυ τοῦ Βρούτου δεηθέντος ἀποστρέψαντα τὴν ὄψιν ὑποστῆσαι τὸ ξίφος· ἐκεῖνον δὲ ῥύμῃ προσβαλόντα τὸ στέρνον καὶ διώσαντα συντόμως ἀποθανεῖν[5]). Sed nondum satis de Stratone; pergitur: Τοῦτον δὲ τὸν Στράτωνα Μεσσάλας ἑταῖρος ὢν Βρούτῳ Καίσαρι διαλλαγεὶς ἐπὶ σχολῆς ποτε προσήγαγε καὶ δακρύσας εἶπε· Οὗτός ἐστιν ὦ Καῖσαρ ὁ τῷ ἐμῷ Βρούτῳ τὴν τελευταίαν ὑπουργήσας χάριν. Ἀποδεξάμενος οὖν ὁ Καῖσαρ ἔσχεν αὐτὸν ἔν τε τοῖς πόνοις καὶ ἐν τοῖς περὶ Ἄκτιον ἀγῶσιν ἕνα τῶν περὶ αὐτὸν ἀγαθῶν γενομένων Ἑλλήνων. Nonne satis de semet ipso vir summus Straton, ex quo haec omnia referre Plutarchum manifestum est? Habes Graeculum inepte loquacem, qui in enarrandis magnis rebus se ipsum legenti offerre nolenti volenti simulque efferre nullo loco omittit. Vere autem rhetoricum scribendi genus sapiunt et ultima, imprimis clausula rhythmica in verbis, quibus se commendatum esse ait Caesari . . ὑπουργήσας χάριν, et quod inest in toto enuntiato tragicum quoddam πάθος. Ne multa, pariter atque Empylus „Brutum" sic Strato libellum mihi videtur conscripsisse „de Bruti morte" (vel qualem tibi fingas eius titulum) in quo suimet mentionem facere non oblitus est. Et profecto, si revera (neque est, cur hac de re dubitemus) ultimis interfuit Bruti horis, defuisse huic scribendi occasioni talemque materiam intactam reliquisse rhetor iste Graeculus vix est putandus. Etiam quod post pugnam demum

1) X, 6, 4 Fragmentum est incertae sedis (t. XI. p. 138 ed. Baiter-Kayser).
2) Heeren de font. et auct. vit. parall. Plut. (in Comment. societ. reg. litt. Gotting. IV. p. 124).
3) B. C. IV, 131. Cf. Drumann II. p. 149. n. 4 et 5.
4) Brut. 52, 3.
5) Cf. Appian. l. l.

Actiacam scripsit vel edidit libellum[1]), satis comprehenditur inde, quod temporum habuit rationem. Res nondum ad discrimen venerant, et potuit Antonius vincere: tunc vero aut omnino non aptus erat liber, qui prodiret in lucem, aut aliam induere debuit formam. — Sitne hic vir unus ex octo Stratonibus (unus intercidit), quos enumerat Diogenes Laertius[2]), diiudicari nequit: si est, quartus fuit, qui Philippi et Persae regum cum Romanis bella enarravit.

Octaviani praeceptor erat **Apollodorus** Pergamenus, de quo egerunt Pideritius[3]) et Blassius[4]). Iter illud, quod fecit cum Octaviano adulescentulo Apolloniam, incidit in annum 45[5]). Tunc erat iam *„grandis natu“*[6]), itaque cum floruisse eum a. C. 65[7]) testetur Hieronymus, credendum est Blassio iam ante annum 100 natum esse Apollodorum contendenti.

Male res confundit Forcellinius[8]) ad hunc referens, quae de Apollodoreo narrat Seneca[9]) **Moscho**; qui nominatur etiam ab Horatio[10]):

„mitte levis spes et certamina divitiarum
et Moschi causam . . .“

ad quae Porphyrio: *„Moschus hic Pergamenus rhetor notissimus reus veneficii fuit: cuius causam ex primis tunc oratores egerunt Torquatus hic . . . et Asinius Pollio“*. Igitur anno a. C. 20, quo conditum esse Horatii sermonem iudicat Kiesslingius, causa ista agebatur[11]).

Clarissimum Apollodori discipulum **Dionysium Atticum**[12]) Romae fuisse non traditur, veri tamen est simillimum.

Horatii comes in itinere Brundisino (a. 37) erat rhetor **Heliodorus** *„Graecorum longe doctissimus“*[13]). Fortasse idem est auctor Ἰταλικῶν θαυμάτων apud Stobaeum[14]).

---

1) Hoc ex ultimis apparet verbis.
2) V, 61.
3) De Apollodoro Pergameno et Theodoro Gadarensi, Marburgi 1843.
4) L. l. p. 155.
5) V. Drumann IV. p. 254.
6) Suet. Aug. 89.
7) Ad annum 65 adnotatum habet cod. Amandinus, ad 64 ceteri codd. Falso ante Schoenei editionem Eusebii ubique legebatur Apollodori ἀκμή a. 63. Inde quod hoc ipso anno natus est Augustus discipulus, magistri ἀκμήν computavisse videtur Hieronymus. Cf. supra p. 366. n. 4.
8) In Onomastico s. v.
9) Controv. II, 13, 13.
10) Epist. I, 5, 9 (ad Torquatum iuris consultum).
11) De Publilii sententiis questus est Moschus, Sen. controv. VII, 3, 8, v. infra p. 401.
12) De quo v. Blass p. 156, cf. supra p. 372.
13) Hor. Sat. I, 5, 2.
14) C, 6. V. Kiesslingii notam ad l. l. et infra p. 403 c. n. 7. De Philisto quodam in Augusti domo vivente narrat supplementum ad Donati vitam Vergilii, (ap. Reifferscheid. Suet. rell. p. 67.) at hoc esse medii aevi neque extare in ullo codice docuit me Marxius. Et ut nihilo-

Romae fuisse **Diodorum** Sardensem iuniorem Strabonis amicum e rebus traditis est colligendum. De duobus enim huius nominis rhetoribus haec tradit Strabo[1]): ἄνδρες δὲ γεγόνασι (ἐκ Σάρδεων) τοῦ αὐτοῦ γένους Διόδωροι δύο οἱ ῥήτορες, ὧν ὁ πρεσβύτερος ἐκαλεῖτο Ζωνᾶς, ἀνὴρ πολλοὺς ἀγῶνας ἠγωνισμένος ὑπὲρ τῆς Ἀσίας, κατὰ δὲ τὴν Μιθριδάτου τοῦ βασιλέως ἔφοδον αἰτίαν ἐσχηκὼς ὡς ἀφιστὰς παρ᾽ αὐτοῦ τὰς πόλεις ἀπελύσατο τὰς διαβολὰς ἀπολογησάμενος· τοῦ δὲ νεωτέρου φίλου ἡμῖν γενομένου καὶ ἱστορικὰ συγγράμματά ἐστι καὶ μέλη καὶ ἄλλα ποιήματα τὴν ἀρχαίαν γραφὴν ἐπιφαίνοντα ἱκανῶς. Iam mittimus maiorem, Mithridatis, ut videtur, assectatorem[2]), praesertim cum etiam epigrammata eius aliquot servata in Anthologia Palatina[3]) nullum monstrent vestigium, unde Romae eum unquam versatum esse concludere queamus. Iuniorem vero ibi fuisse iam inde, quod fuit Strabonis amicus ipsius quoque ibi versantis, veri simile est, probatur autem eius epigrammatis, quae leguntur in Anthologia Palatina IX, 219 et 405[4]).

A. P. IX, 219:

Αἰγιβότου Σκύροιο λιπὼν πέδον Ἴλιον ἔπλω
  οἷος Ἀχιλλείδης πρόσθε Νεοπτόλεμος,
τοῖος ἐν Αἰνεάδῃσι Νέρων ἀγὸς ἄστυ Ῥέμοιο
  νεῖται ἐπ᾽ ὠκυρόην Θύβριν ἀμειψάμενος,
κοῦρος ἔτ᾽ ἀρτιγένειον ἔχων χνόον· ἀλλ᾽ ὁ μὲν ἔγχει
  θῦεν· ὁ δ᾽ ἀμφοτέροις καὶ δορὶ καὶ σοφίῃ.

IX, 405:

Ἀδρήστειά σε δῖα καὶ Ἰχναίη[5]) σε φυλάσσοι
  παρθένος, ἡ πολλοὺς ψευσαμένη Νέμεσις.
δείδια σόν τε φυῆς ἔρατον τύπον· ἠδὲ σὰ κοῦρε
  δήνεα θεσπεσίης καὶ μένος ἠνερόης
καὶ σοφίην καὶ μῆτιν ἐπίφρονα· τοιάδε τέκνα
  Δροῦσε πέλειν μακάρων πευθόμεθ᾽ ἀθανάτων.

---

minus verum relatum sit, tamen hic orator poesin mediocriter doctus certe non idem erat ac Philistio Nicaenus mimographus clarissimus (de quo infra agam), ut parum considerate putavit Teuffelius R. L.-G. §. 254, 6. Huius enim nomen apud posteriores homines litteratos celebratius erat notiusque (cf. Studemund. Menandri et Philistionis comparatio, Vratisl. 1887. p. 8), quam ut talibus significari posset epithetis. Alium Teuffelii errorem eodem loco commissum iam supra correximus, v. p. 382. i. f.

1) XIII. p. 628.

2) Bellum Mithridaticum, de quo loquitur Strabo, Pompeianum est, non Sullanum, cum Diodorus Zonas in Philippi extet corona. Ceterum cf. quae supra (p. 390) monuimus de Xenocle.

3) In unum conlecta apud Brunckium Anall. II, 80.

4) Praeterea alibi occurrunt nomina Romana: Maximus (VI, 243) — Paulla (VII, 700) — Labeo (VII, 624), cuius commemoratur naufragium factum „in Ionico mari“: quod Romae poetam scribere indicat.

5) Grandi scribendum littera sive ductum a Thessaliae oppido Ἴχναι, (cf. Strab. VIII. p. 435) sive ab ἴχνος, ut sit „die Spürerin“.

Hoc alterum epigramma referendum esse opinatur Iacobsius[1]) ad Drusum Germanici filium, qui natus p. C. 7/8 obiit a. 34[2]); quis fuerit Nero in priore carmine laudatus[3]), se nescire fatetur. Sed qua de causa ad diversos missa esse epigrammata putemus, non video, quoniam quae in eis leguntur, de uno dici possunt atque dicta esse videntur, variansque nomen in homine gentis Claudiae nemo mirabitur. Praeterea Germanici filii omnino non arcessendi mihi videntur ad explicanda haec epigrammata, quippe quae ab amico Strabonis vix scripta sint annis p. C. 23—25, cum iam a. C. 29 ipse Strabo Romam venerit annum agens trigesimum quartum, neque placet carmina missa fingere ad adulescentulos Tiberio avo suspiciosos eiusque odio et saevitia vexatos ita, ut Drusum vinculis Romae contineret[4]), utrumque hostem iudicatum perire iuberet[5]). Refero equidem utrumque carmen ad Drusum Neronem[6]), Liviae filium alterum, Augusti privignum amatissimum, quem mortuum ipse publice laudavit elogiumque versibus compositum inscribendum tumulo curavit[7]), qui honores quinquennio ante legitimum tempus petivit[8]), quem laudibus effert Horatius[9]), quem Suetonius[10]) dicit „*fuisse ... non minus gloriosi quam civilis animi*“: θοῦεν δορὶ καὶ σοφίῃ canit poeta. Iam nunc alludere videmus eundem ad ipsum Divum Augustum verbis: τοιάδε τέκνα ... πέλειν ... ἀθανάτων θεῶν. Natus est Drusus a. C. 38, erat igitur cum Strabo Romam veniret, puer novem annorum; quin ibi cognoverit geographus Diodorum, vix dubitandum est: vides et res et tempora sententiae nostrae suffragari. Unde vero Romam tunc redierit Drusus, non liquet. Comes haud scio an fuerit Augusti (ἐν Αἰνεάδῃσι) aliquo in itinere vel aliqua in expeditione[11]).

Uno tenore disputandum est de rhetoribus partim olim certe partim nunc quoque clarissimis Potamone Theodoro Antipatro Hermagora.

Potamonem Lesbonactis filium Mytilenaeum tractavit lapidum allatis novis testimoniis Cichorius[12]) bis eum principem legationis

1) A. G. t. IX. p. 80 et XIII. p. 884.
2) V. Mommsen. in Herm. XIII. p. 247.
3) Potuit cogitare de Nerone Drusi fratre nato p. C. 6. (cf. Mommsen l. l.).
4) Suet. Ti. 65.
5) Suet. Ti. 54.
6) Plenum eius nomen legitur in inscript. Orelli 615: „D. Claudius Nero Drusus Germanicus“ et alibi.
7) Suet. Claud. 1.
8) Dio LIV, 10.
9) Carm. IV, 4.
10) L. l.
11) Simili carmine Crinagoras eisdem temporibus Romae versatus Marcellum a. C. 25 ex Hispania redeuntem salutat A. P. VI, 161. Cum altero epigrammate comparari quodammodo potest eiusdem poetae in Marcellum ep. IX, 545.
12) In libello „Rom und Mytilene“ inscripto; comprehendit quae indagavit p. 62.

Mytilenaeorum Romam venisse annis a. C. 29 et 25[1]) ostendere studens, atque anno 29 primum Urbem eum vidisse contendens. Quibus ut adsentiri non possemus, iam antequam oblocutus est aliis de causis Mommsenus[2]), nos quidem adducti eramus eis rationibus, quas in **Theodori** vitam inquirentes erueramus. Hunc rhetorem Gadarensem tempore belli Mithridatici deleta patria urbe Romam venisse suspicatur Cichorius[3]) pro exemplo afferens Demetrium Gadarensem. Res tamen nimis incerta est, quoniam Demetrium quoque tunc Romam migrasse non modo non traditur, sed etiam, cum Pompeius in huius Demetrii gratiam restitui a. 63 oppidum paullo ante dirutam iusserit[4]), longius tunc iam temporis spatium apud Pompeium degisse libertum istum admodum verisimile est. Recte tamen idem e traditis rebus collegit primum Romam se contulisse, tunc demum in Rhodum transmigrasse Theodorum, non e contrario Rhodo Romam[5]). Romae enim Tiberium instruxit ibique aliquantum temporis commoratus[6]) Rhodum petivit rhetor, ubi quem puer magistrum habuit, vir denuo studiose audivit Tiberius, quo nihil magis cogitari potest consentaneum. Iam adeundus est Suid. s. v.: Θεόδωρος Γαδαρεὺς σοφιστὴς ἀπὸ δούλων διδάσκαλος γεγονὼς Τιβερίου Καίσαρος· ἐπεὶ δὲ συνεκρίθη περὶ σοφιστικῆς ἀγωνισάμενος Ποτάμωνι καὶ Ἀντιπάτρῳ ἐν αὐτῇ τῇ Ῥώμῃ, ἐπὶ Ἀδριανοῦ Καίσαρας ὁ υἱὸς αὐτοῦ Ἀντώνιος συγκλητικὸς ἐγένετο· βιβλία δὲ κ. τ. λ. Duplex inesse in his verbis mendum apparet. Primum enim enuntiatum inde ab ἐπεὶ δὲ usque ad Ῥώμῃ poscit ἀπόδοσιν, tunc vero non ferenda sunt insequentia inde ab ἐπὶ Ἀδριανοῦ usque ad ἐγένετο, de quibus postea videbimus. Pro ἐπεὶ δὲ Kusterus iam coniecit ἔπειτα; sed displicet sic sententiarum conexus: magister Tiberii factus est, deinde comparatus, par inventus (hoc significat συνεκρίθη) Potamoni! Excidisse quaedam post Ῥώμῃ de eventu disputationis putat Cichorius[7]), sed qualia haec esse possunt, cum eventum ostendat iam illud συνεκρίθη? Veram esse et necessariam censeo coniecturam, quam dubitanter profert Blassius[8]): ἐπειδὴ pro tradito ἐπεὶ δέ: non postea quam Tiberii magister factus est, in ipsa urbe parem se praestitit σοφιστικῆς magistrum Potamoni et Antipatro, sed versa vice: Tiberii magister electus est, cum compararetur in arte docendi cum clarissimis tunc Romae docentibus Po-

1) Corrigendum igitur esse Suidam, qui Potamonis ἀκμὴν ponit ἐπὶ Τιβερίου Καίσαρος — quod cur factum sit, probabiliter exponit Cichorius l. l.

2) Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1889. p. 975 sqq.: quibus postea utemur.

3) L. l. p. 63.

4) Drumann IV. p. 487.

5) Id quod voluit Blassius l. l. p. 158 errasse suspicatus Quintilianum, cum III, 1, 17 Tiberium a. Ch. 6 Rhodi studiose audivisse Theodorum diceret.

6) Usque ad annum 27, si recte coniecit Cichorius p. 63.

7) P. 62 in n. Bernhardyum secutus et Wachsmuthium (Symbol. Bonn. p. 141. n. 9), qui supplendum opinatur ἠφείθη διὰ τὴν παίδευσιν καί.

8) P. 158. n. 6.

tamone et Antipatro. Sic res intellegitur, nec desunt exempla, quibus probetur[1]). Tiberius natus est a. 42, quattuor annis post mater Octaviano nupsit, a. 33 puer novem annorum patrem mortuum laudavit[2]) atque etiamsi ipse orationem non elaboraverit[3]), magistro tamen certe iam usus est rhetore. His igitur annis Theodorum ad erudiendum privignum ab Octaviano ob famam arcessitum ese putamus[4]). Ergo Potamo non primum a. C. 29 Romam venit, sed antea iam ibi rhetoricam docuit. Accedit aliud. Parthenii Nicaeensis carmen „Crinagoras" inscriptum celebrasse poetam notissimum Mytilenaeum omnes consentiunt. Alterum vidisse alterum et necessitudine sibi coniunxisse nusquam nisi Romae non minus est consentaneum. Natus autem est Parthenius anno fere a. C. 90[5]). Atqui ex Cichorii sententia a. 29 primum una cum Potamone aliisque Romam venit Crinagoras, confecto autem foedere in patriam rediit et Romae mansit post alteram demum legationem a. 25. Post hunc igitur annum, si res ita se haberet, conditum esset carmen illud a sene septuaginta fere annorum: quod quamquam fieri potuit, minus tamen est probabile. Haec autem argumentatio e coniectura orta nunc fulcitur Mommseni disputatione addita novis titulis Asiaticis a Cichorio nuper editis[6]), in qua demonstravit non a. 29, sed iam 45 priorem istam legationem Romam venisse argumentis ex ipsis lapidibus petitis. Itaque tunc confecta legatione vel certe haud ita multo post in Urbe docere coepit Potamo, unde revocasse eum videntur Mytilenaei, ut praeficerent alteri illi legationi civem notissimum apud Romanos et apud ipsum principem[7]).

---

1) Iam vidimus Pompilium Andronicum grammaticum Cumas transmigrasse *„cum se in Urbe non Antonio Gniphoni solum sed ceteris etiam deterioribus postponi videret* (Suet. gr. 8). Sic Verrius Flaccus *„quia docendi genere maxime inclaruit, ab Augusto nepotibus eius praeceptor electus est"* (ibid. 17). Sic denique Crassitius Pasicles *„inclaruit et docuit multos et nobiles, in his Iulum Antonium* (apud Octaviam), *ut Verrio quoque Flacco compararetur"* (ibid. 18). Hoc *„compararetur"* prorsus idem est ac Suidae συνεκρίθη.

2) Suet. Ti. 6.

3) V. Cichorium l. l.

4) Quocum egregie congruit, quod ad ipsum annum 33 Theodori ἀκμήν adponit Hieronymus (non recte adhuc legebatur numerus 31, cf. supra p. 366. n. 4).

5) Cf. infra p. 405.

6) Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1889. p. 973 sqq.

7) In patria quoque scholam habuisse Potamonem testatur Seneca (Suas. II, 15) atque ibi haud dubie coepit docere et ita inclaruit, ut legationis a. 45 mittendae princeps eligeretur. Neque Romae, sed Mytilenis supremum diem videtur obiisse, si recte epistulam illam principis apud Suidam servatam, qua ab omni iniuria se esse defensurum Potamonem pollicetur, datam existimamus provectiori iam aetate redeunti in patriam ibique remansuro. Νομοθέτην autem καὶ κτίστην τῆς πόλεως in inscriptionibus nominaverunt Mytilenaei civem egregie de ipsis meritum sollemni usitataque in tribuendis his honoribus formula. Romae, ni fallor, audivit Potamonem Sotion iste (cf. Plut. Alex. 61) peripateticus,

Antipater, rhetor, qui una cum Potamone nominatur, hodie satis ignotus est[1]).

Ultima glossae verba: ἐπὶ Ἀδριανοῦ Καίσαρος ὁ υἱὸς αὐτοῦ (Theodori Gadarensis) Ἀντώνιος συγκλητικὸς ἐγένετο hic ferri non posse patet, atque Antonii nomine adductus sum, ut irrepsisse ea censeam ex insequenti glossa: Θεόδωρος ποιητὴς ὃς ἔγραψε διάφορα δι᾽ ἐπῶν καὶ εἰς Κλεοπάτραν ἐπῶν: quem eundem esse suspicor atque paedagogum Theodorum Alexandriae versantem apud Antonium et Cleopatram[2]). Hic vel filius eius a patrono manumissus Antonium Theodorum potuit se vocare. Iam nomen explicatur, sed de temporum ratione eadem restat difficultas neque tolli potest nisi aut Hadriani nomen corruptum aut υἱωνὸν pro υἱὸν scribendum esse putas.

Theodori discipulus erat **Hermagoras:** huius nominis quot fuerint rhetores, discrepant virorum doctorum sententiae[3]), quare denuo testimonia sunt adeunda. De Theodori discipulo gravissimus est testis Quintilianus[4]): *„plura scripsit Theodorus, cuius auditorem Hermagoran sunt qui viderint“.* E verbis apparet paucos fuisse, senes, ut descendamus in annos p. C. 20—30, quae tempora bene congruunt cum iis, quae de magistro Theodoro computavimus. Idem certe Quintiliani Hermagoras[5]) inest in glossae Suidianae[6]) verbis: ἐπαίδευσε δὲ οὗτος μετὰ Καικιλίου ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Καίσαρος Αὐγούστου καὶ τελευτᾷ πόρρω τῆς ἡλικίας. Neque enim duos Hermagoras utrumque rhetorem eodem tempore Romae vixisse sumemus nec sine certo quodam consilio una cum ipso Caecilio docuisse Hermagoram narrasse mihi videtur auctor Hesychii. Etenim ut hic (Hermagoras) Theodori, ille (Caecilius) Apollodori fuit discipulus, uterque magistrorum diversa sequentium[7]) inter sectatores facile notissimus. More tamen solito a lexicographo in unum conglutinatos esse duos ὁμωνύμους, veterem Hermagoram Temnitam et minorem Theodori disci-

---

ut videtur, philosophus (Zeller II³, 2. p. 931. n. 3, cf. III³, 1. p. 777. n.), non Senecae magister, Sextii assecla (Zeller III³, 1. p. 676. n. 3).

1) Idem laudatur a Dione Chrysostomo XVIII. p. 480 R. una cum Theodoro et Plutione eius aequali (Hieronym. ad a. C. 31). Patrem eum esse Nicolai Damasceni, quem fuisse δεινὸν λέγειν filius tradit (Suid. s. v. N.) putat Cichorius p. 62. Attamen non legatum civium, sed ipsum quoque scholam rhetoricam habentem in Urbe versatum esse Antipatrum e nostra disputatione sequitur.

2) Plut. Anton. 81, 1. Homo nefarius M. Antonium Antyllum Antonii e Fulvia filium Octaviano prodidit, qui eum necari iussit.

3) V. Harnecker Die Träger des Namens Hermagoras, Ann. phil. CXXXI (1885). p. 70 sqq., qui quamquam eundem ac nos assecutus est numerum, res tamen male confundit.

4) III, 1, 18.

5) Qui saepius occurrit apud Senecam rhetorem.

6) S. v. Ἑρμαγόρας Τήμνου τῆς Αἰολίδος ὁ ἐπικληθεὶς Καρίων ῥήτωρ τέχνας ῥητορικὰς ἐν βιβλίοις ϛ′ περὶ ἐξεργασίας π. πρέποντος π. φράσεως π. σχημάτων· ἐπαίδευσε δὲ οὗτος . . .

7) V. Schanz Die Apollodoreer u. Theodoreer, Herm. XXV (1890). p. 36 sqq.

pulum cum indicare videtur vocabulum (ἐπαίδευσε δὲ) οὗτος tum demonstrant Strabonis[1]) verba ταῖς δὲ νῦν Αἰολικαῖς πόλεσιν καὶ τὰς Αἰγὰς προσληπτέον καὶ τὴν Τῆμνον, ὅθεν *ἦν* Ἑρμαγόρας ὁ τὰς ῥητορικὰς τέχνας συγγράψας, quibus non aequalem significari a geographo luce clarius est[2]): de maiore potius loquitur illo Hermagora, quem Temnitam fuisse nunc tandem ei credendum est[3]).

Eundem Plutarchus Hermagoram commemorat in vita Pompei[4]), ubi a Posidonio Rhodi a. 62 coram Pompeio acroasin factam esse contra Hermagoram de quaestione universali refert his verbis: Ποσειδώνιος δὲ καὶ τὴν ἀκρόασιν ἀνέγραψεν, ἣν ἔσχεν ἐπ' αὐτοῦ (Πομπηίου) πρὸς Ἑρμαγόραν τὸν ῥήτορα περὶ τῆς καθόλου ζητήσεως ἀντιταξάμενος. Ubi enim legitur Hermagoram adfuisse et contradixisse? Negabitne quispiam acroasin haberi potuisse et adhuc posse in hominem absentem vel iam mortuum? Miror Pideritium, verum qui senserit, in ipsis verbis (in praepositione, ut videtur, πρός et participio ἀντιταξάμενος) haesisse magisque miror huic plaudere Harneckerum, quippe qui ipse viderit illam disputationem π. τῆς καθόλου ζητήσεως i. e. de quaestione universali spectasse doctrinam veteris Hermagorae[5]); at plaudit fortasse, ut vendat coniecturam suam πρὸς Ἑρμαγόρειον ῥήτορα: cui saltem τινα addere debuit. Sed supervacanea haec sunt neque eis quicquam lucramur. Immo, sicut dixi, apud Plutarchum quoque intellegendus est Hermagoras Temnita, cuius contra doctrinam notissimam tunc apud homines eruditos et pervolgatam disputare Posidonius a Pompeio iussus sit. Iam e quattuor Hermagoris Blassii[6]) duo facti sunt neque plures novit Maximus Planudes, cum laudet Ἑρμαγόραν τὸν νεώτερον[7]).

Rhetores Graecos omnes vel potius declamatores quotquot occurrunt in Senecae Suasoriis et Controversiis Romae fuisse non constat. Immo cum de uno ex eis **Hybrea** eiusque vita aliunde[8]) satis facti simus certiores et ex his testimoniis concludere potius debeamus in Urbe eum non fuisse, de ceteris quoque, nisi aut diserte dictum

---

1) XIII. p. 621.

2) Illud qui putant (ut Harnecker l. l. p. 70) videant apud Nieseum, quomodo de aequalibus loqui soleat Strabo.

3) Corruit igitur tota Harneckeri disputatio, qua maiorem Hermagoram Stoicum philosophum (Suid. s. v. Ἑρμ. Ἀμφιπολίτης στωικὸς φιλ.) fuisse ostendere voluit: quod solum ut probare possit, sic testimoniis abusus esse videtur, ut etiam quaerat, ubinam in scriptis Temnitae a Suida nominatis de statuum doctrina Hermagorae notissima sermo fieri potuerit. Ubi tandem nisi ἐν τεχνῶν ῥητορικῶν βιβλίοις ϛ'?

4) C. 42.

5) Cf. Quintil. III, 5, 14.

6) L. l. p. 84.

7) Σχολ. εἰς στας. Walz Rhett. gr. V. p. 337.

8) Strabo XIII. p. 630. XIV. p. 659. 660. Plut. Anton. 24. Valer. Max. IX, 14, ext. 2., unde in Asia eum vitam degisse apparet. Ceterum de his omnibus rhetoribus conscripsit disputatiunculam Buschmann (progr. gymn. Parchim. 1878).

est aut aliunde constat, res in dubio nobis relinquenda est. Constat autem de **Nicete** e Seneca[1]) et ex epigrammate Anthologiae Palatinae X, 23[2]), de **L. Cestio Pio Smyrnaeo** quem *„Latine Romae docuisse“* testatur Hieronymus ad annum 741/13[3]). Ipso Seneca teste Romae versabantur hi: **Dionysius** filius eius Dionysii, qui Ciceronis filium erudiebat[4]), **Craton** Atticorum inimicissimus, de quo lepida narratiuncula profertur[5]), **Glycon Spyridion** *„qui honeste dixisse Romanos fecit“*[6]), **Euctemon,** qui *„in Festum rhetorem dixit“*[7]): Qui omnes adscribendi sunt Augusti vel Tiberii aetati[8]).

IV. De poetis.

Post Livium Andronicum, Ennium semigraecum, Afrum Terentium qui Romam transmigrarunt poetae Graeci, vigens ibi invenerunt atque in dies ita crescens Graecarum litterarum studium, ut sua lingua condita possent ad patronos mittere carmina qualibet oblata occasione. Erat aptissimum hunc ad finem poeseos genus, quod secum transportarunt, epigramma; unde factum est, ut de plerisque siquid scitur praeter nomen, Anthologiae debeatur Palatinae[9]). Epicum quoque carmen hunc illum in regis sui honores scripsisse audimus, Archiam Boethum alios, sed nihil eiusmodi ad nos pervenit.

Alcaeum Messenium, qui vixit temporibus belli Macedonici[10]), Philippi regis inimicissimum, esse Epicureum istum Alcaeum, qui una cum Philisco quodam Roma eiectus est a. C. 173 vel 155[11]) coniecit Reiskeus[12]). Sed ab Athenaeo, qui eandem narrat rem[13]), homo vocatur Ἄλκιος[14]), quapropter res in dubio relinquenda esse videtur,

---

1) Suas. III, 6. Narrata ibi ante mortem Messalae facta sunt. Obiit M. teste Hieronymo (ad a. p. C. 11) a. p. C. 13: quocum congruit Frontinus (de aqu. 102). Utrique minime obstare Ovidium (Pont. I, 7, 27—30. v. Teuffel l. l. 222, 1) Marxius me docuit, immo recte intellectos poetae versus fulcire illorum testimonia ita quidem, ut Ovidius Tomis comperta Messalae morte viro, qui *„non infitiatus est amicum“* (scil. exulem factum), *„scripta dederit medio canenda foro“* i. e. naeniam Romam miserit.

2) Cf. infra p. 415.

3) Quem tractavit Lindener De L. Cestio Pio, Züllich. 1858). *„Graecus homo“* diserte dicitur a Seneca Contr. VII, 1, 27. De nomine eius res similiter se habuerit ac de Ateio Praetextato aliis. V. supra p. 365.

4) Controv. I, 4, 11. 5) L. l. X, 5, 21. 6) L. l. X, 5, 27.

7) L. l. VII, 4, 8.

8) Certius quicquam de singulis non constat. Cratonem Augusti fuisse aequalem e narratiuncula ista cognoscimus.

9) De Anthologiae poetis etiamnunc paucis exceptis conferendus solus est Iacobsius in catalogo, quem fecit poetarum (A. G. t. XIII. p. 829 sqq).

10) V. ep. A. P. VII, 247 in occisos apud Cynoscephalas Macedones (a. C. 197), ep. Anth. Planud. 5. in T. Quinctium Flamininum, Graeciae liberatorem.

11) Aelian. V. H. IX, 12, cf. supra p. 356. n. 2 et Zeller III^{3}, 1. p. 372. n. 1.

12) V. Iacobs A. G. XIII. p. 837. 13) XII. p. 547 a.

14) Haec nominis forma alibi nusquam invenitur nisi in nummis

quamquam tempora congruunt et Alcaeus συγκρίσεσι lacerasse dicitur Isocratem grammaticum[1]), quem Romae versatum esse scimus[2]). Sed in epigrammatis eius servatis nullum inest vestigium, quod Romam ducat legentem.

Antipatrum Sidonium[3]) viderunt Crassus et Catulus oratores[4]): Romaene an alibi, non dicitur. In lemmate epigrammatis A. Plan. 184 (in Bacchi statuam ante aedes Pisonis positam) falsum esse quod legitur Antipatri Sidonii nomen pro Thessalonicensis iam exploratum est: quo de viro infra disseremus[5]).

Publilium Syrum mimographum anno a. C. 83 Romam venisse, natum esse 93 probare conati sumus[6]). Veterum de eo testimonia conlecta editioni Publilii sententiarum praemisit Guilelmus Meyer. Quando obierit, fortasse elici potest e verbis Senecae[7]): *„Memini Moschum*[8]), *cum loqueretur de hoc genere sententiarum, quod infecta iam erant adulescentulorum omnium ingenia, queri de Publilio, quasi ille iam hanc insaniam introduxisset. Cassius Severus, summus Publili amator, aiebat non illius hoc vitium esse, sed eorum qui illum ex parte qua transire deberent imitarentur, non imitarentur, quae apud eum melius essent dicta quam apud quemquam comicum tragicumque aut Romanum aut Graecum"*. Mortuus iam esse videtur Publilius, cum haec de eo colloquerentur inter se Moschus et Severus. Discessit autem Roma veneficii reus Moschus a. C. 20[9]). Obiit igitur, si recte conicio, ante hunc annum Publilius, cuius ἀκμήν anno 43 tribuit Hieronymus.

Pitholaum, cuius *„epigrammata maledicentissima Caesar civili animo tulit*[10]) et cuius sales narrat Macrobius[11]), eundem esse atque Rhodium Pitholeontem apud Horatium[12]) demonstravit Bentleius[13]).

Phrygiis: Mionnet Descript. de medaill. antiqu. IV. p. 227 (196) — p. 228 (207) et S. VII. p. 507 (124), ubi magistratus Apameorum nominantur Ἀνδρόνικος et Ἄλκιος. Phryx igitur fortasse fuit Epicureus iste.

1) Polyb. XXXII, 6, cf. Wilamowitz Antig. p. 295. 303.

2) V. supra p. 361.

3) Erat aequalis senior Meleagri, v. Iacobs l. l. p. 847.

4) Cic. de orat. III, 50, 194 (Crassus loquitur): *„Quodsi Antipater ille Sidonius, quem tu probe Catule meministi, solitus est . . ."* V. infra p. 402. c. n. 5.

5) P. 405 sqq.

6) Supra p. 366.

7) Controv. VII, 3, 8.

8) Hanc Bursiani emendationem pro Kiesslingii coniectura *„Oscum"* (quae etiam legitur in hoc testimonio apud Meyerum) recte me iudice recepit novissimus Senecae rhetoris editor H. I. Mueller.

9) Horat. Ep. I, 5, 9, v. supra p. 393.

10) Suet. Caes. 75.

11) Sat. II, 2, 13.

12) Sat. I, 10, 22.

13) Ad locum Horatii. Cf. M. Hertz Mus. Rhen. XLIII. p. 314.

Ciceronis oratione nobis innotuit **Archias Antiochenus**, cuius vitam, quam e solo novimus Cicerone, delineatam editioni orationis praemisit Halmius. Epigrammatum in Anthologia Palatina viginti quinque, quae nudum Archiae nomen ferunt, cum nullum ab Antiocheno compositum esse putavisset Iacobsius[1]), recte Hauptius[2]) cum aliis tum ea de causa oblocutus est, quod in re quater diversis versibus a poeta expressa epp. VI, 16. 179. 180. 181 adgnosci possit testimonium propriae huius Archiae artis, quam laudibus effert Cicero[3]). Exercuit autem eam inprimis in carminibus Antipatri Sidonii, cuius rei testimonia conlegit Hauptius[4]), idemque fere atque de illo etiam de hoc praedicat Cicero[5]): *„Quodsi Antipater ille Sidonius .... solitus est versus hexametros aliosque variis modis atque numeris fundere ex tempore tantumque hominis ingeniosi ac memoris valuit exercitatio, ut, cum se mente ac voluntate coniecisset in versum, verba sequerentur"*[6]). Itaque probanda Hauptii sententia Archiasque ille Anthologiae pro Antiocheno habendus est. Praeterea carmen epicum condidit Archias, quo Luculli celebravit res adversus Mithridatem gestas[7]). Sed recte animadvertit W. Fabricius[8]), verbis *„totum bellum Mithridaticum ab eo expressum est"* rem exaggerari a Cicerone, cum de Pompei quoque laudibus in panegyrico Luculli cogitari nequeat[9]). Etiam Ciceronis defensoris laudes carmine se praedicaturum esse consulatum eius inlustrantem promisisse videtur Archias. Scribit enim Cicero ad Att. I, 16, 15 (a. 61) *„Epigrammatis tuis, quae in Amaltheo posuisti, contenti erimus, praesertim cum et Thyillus nos reliquerit et Archias nihil de me scripserit, ac vereor ne, Lucullis quoniam Graecum poema condidit, nunc ad Caecilianam fabulam spectet"*. De ultimis verbis conferendus est idem Cicero[10]): *„Quid? a Q. Metello Pio, familiarissimo suo, qui civitate multos donavit, neque per se neque per Lucullos impetravisset (civitatem)? qui praesertim usque eo de suis rebus scribi cuperet, ut etiam Cordubae natis poetis ... aures suas dederet"*. Metellus a. 63 mortuus est[11]), atque defuncto de-

1) A. G. XIII. p. 859.
2) Herm. III. p. 206 sq. = Opusc. III. p. 409 sq.
3) L. l. §. 18.
4) Adde VII, 146 Antipatri et 147 Archiae epigr.
5) De orat. III, 50, 194 cf. supra p. 401. n. 4.
6) Conferendus praeterea est, quem iam addidit Hauptii opusculorum editor Wilamowitzius, locus Quintiliani X, 7, 19: *„cum hanc facilitatem (extemporalem) non in prosa modo multi sint consecuti, sed etiam in carmine, ut Antipater Sidonius et Licinius Archias: credendum enim Ciceroni est, non quia nostris quoque temporibus non et fecerint quidam hoc et faciant"*. Utrumque locum Ciceronianum respicit rhetor. Exempla Antipatri se ipsum variantis habes A. P. IX, 720 sqq.
7) Cic. pro Arch. 9, 21.
8) Theophanes u. Dellius als Quellen Strabos p. 6. adn.
9) Simile exaggerationis exemplum in initio legitur orationis, ubi nimia certe de se ipso „Archiae discipulo" dicit Cicero.
10) Pro Arch. 10, 26.
11) Drumann II. p. 43.

functique cognatis officium pietatis debitum praestare tunc voluisse videtur Archias: an vero fecerit necne, incertum est.

Thyilli[1]), cuius nomen praeter locum allatum legitur ad Att. I, 9, 2. 12, 2, extare epigrammata in Anthologia Palatina VI, 170. VII, 223. X, 5 vidit Hauptius[2]). Qui in medio reliquit debeaturne errori horum epigrammatum ultimi apud Planudem quae est inscriptio Σατύρου Θυίλλου an recte sit tradita. Sola cum haec sit neque alio loco (plura enim extant Satyri epigrammata) Thyilli nomen adscriptum inveniatur, porro cum Satyri subsequatur epigramma X, 6 (eiusdem argumenti), nullum esse puto Satyrum Thyillum, sed scriptum fuisse Σατύρου ἢ Θυίλλου[3]). Ex epigrammatis nihil de auctore cognoscitur; Romae quando fuerit, e Ciceronis epistulis apparet. In ep. ad Att. I, 9, 2 (anno 67 scripta) legimus haec: „*Thyillus te rogat et ego eius rogatu* Εὐμολπιδῶν πάτρια“[4]). Sex annis post non iam apud Ciceronem fuisse poetam docent epp. I, 16, 15 (supra exscripta) et I, 12, 2 (eiusdem anni 61) „*de eo* (Hilaro nequam liberto) *Valerius interpres nuntiat Thyillusque se audisse scribit.*

Tullius Laurea[5]) libertus erat Ciceronis teste Plinio[6]), qui carmen eius Latinum exhibet in fontes calidos oculisque salubres, qui post Ciceronis obitum in villa eius Puteolana eruperunt[7]). Hunc esse Tullium Lauream, cuius extant tria epigrammata A. P. VII, 17, 294. XII, 24, cognitum est. Sed quoniam Laureae nomen nusquam legitur apud Ciceronem, nimium est, si hunc poetam esse volunt Tullium scribam commemoratum ad Att. V, 4, 1, XIII, 22, 4, ad fam. V, 20, 1. 8. 9: homine utitur Cicero in rebus pecuniariis neque ullo loco quicquam subolet, unde poetam illum fuisse vel omnino in litteris versatum esse suspiceris. De aetate Laureae ex Plinio constat superstitem patrono vixisse eum Romae etiam post annum 42.

De **Philodemo** Gadarensi non repetam, quae nota sunt ex loco illo in Ciceronis oratione Pisoniana[8]), habita a. 55. Huius poetae carmina optimum nacta sunt editorem Kaibelium[9]). Quae de vita

---

1) E mss. pro *Chilio,* quod vulgo legebatur, correxit Kayser. Nomen nonnisi in Ciceronis epistulis et in Anthologia invenitur, bene tamen explicatur simili hypochoristico C. I. G. II, 1796 b: Θυΐων.

2) L. l. p. 205.

3) Revera tamen neutrius esse arbitror hoc epigramma mirum quantum discrepans a ceteris, metri vitiosi totumque ineruditam scholastici sapiens imitandi artem.

4) Scil. librum de Eleusiniis.

5) V. Iacobs l. l. p. 907.

6) H. N. XXXI. §. 7.

7) De iisdem leguntur versus Heliodori apud Stobaeum Flor. C, 6 M. cf. supra p. 393. c. n. 14.

8) C. 28.

9) In indice lectt. Gryph. 1885.

sciri possunt, protulit Preller[1]) in eo tamen falsus, quod senectutem uno loco queri poetam dicit obiter ut videtur lecto epigrammate XI, 30 (20 K.): Veneris se militiam non iam ut prius posse exercere questus claudit Philodemus:

Ὦ γῆρας, γῆρας τί ποθ᾽ ὕστερον, ἢν ἀφίκηαι
ποιήσεις, ὅτε νῦν ὧδε μαραινόμεθα;

Senectutem non increpat praesentem, sed extimescit futuram. Antiquissimum esse Philodemum inter poetas Coronae Philippi exploratum est: unde recte argumentum ad definiendam Meleagri aetatem petivit Iacobsius[2]).

Parthenii Nicaeensis sospitator extitit Meinekeus[3]). Studiis Meinekei in hanc rem collatis nova addidit Kiesslingius[4]), qui hoc recte firmasse mihi videtur temporis notam Suidianam[5]) καὶ ἐβίω μέχρι Τιβερίου τοῦ Καίσαρος falsam esse atque natam e loco Suetonii Ti. 70[6]). Verum persuadere mihi non potuerunt, quae de tradito apud Suidam Cinnae nomine proposuit. In verbis enim οὗτος ἐλήφθη ὑπὸ Κίννα λάφυρον, ὅτε Μιθριδάτην Ῥωμαῖοι κατεπολέμησαν· εἶτα ἠφείθη καὶ ἐβίω ... non recte se habere Cinnae nomen statuit Meinekeus inde, quod sic ὑπὸ Κίννα dici potuisse solummodo de notissimo Cornelio Cinna recte, ni fallor, iudicavit: qui cum nusquam bello Mithridatico imperator fuerit, corruptum esse nomen censuit. Coniecturam, qua Caecinae nomen pro Cinnae substituere voluit, admodum incertam esse patet, ipsam hanc sententiam nemo adhuc redarguit[7]). Nam quod obvertit Kiesslingius verba ἐλήφθη ὑπὸ Κίννα λάφυρον referenda esse non ad ducem, qui cepit, sed ad dominum, qui emit, exemplis ab ipso allatis[8]) non probatur, immo refelli videtur glossis, quae apud eundem Suidam leguntur s. v.: Διογένης (p. 1375 ab) Ἱκεσίου υἱὸς Σινωπεὺς . . . γηραιὸς δὲ ὢν ὑπὸ πειρατοῦ Σκιρτάλου ἐλήφθη καὶ πραθεὶς ἐν Κορίνθῳ Ξενιάδῃ τινί . . . itemque in glossa insequenti de (eodem) Diogene

1) In Ersch. et Gruber. A. E. E. Sect. III. vol. 23. p. 345 sqq.; de philosopho Philodemo v. Zeller III, 1. p. 374.
2) Prolegg. A. G. t. VI. p. XL.
3) Anall. Alex. p. 255 sqq.
4) Comment. Mommsen. p. 351 sqq.
5) S. v. Παρθένιος. Ἡρακλείδου καὶ Εὐδώρας· Ἕρμιππος δὲ Τήθας φησί· Νικαεὺς ἢ Μυρλεανός, ἐλεγειοποιὸς καὶ μέτρων διαφόρων ποιητής· οὗτος ἐλήφθη ὑπὸ Κίννα λάφυρον, ὅτε Μιθριδάτην Ῥωμαῖοι κατεπολέμησαν· εἶτα ἠφείθη διὰ τὴν παίδευσιν καὶ ἐβίω μέχρι Τιβερίου τοῦ Καίσαρος· ἔγραψε δὲ ἐλεγείας κ. τ. λ.
6) Etenim verba in eo tantum falsa esse, quod non usque ad susceptum a Tiberio imperium vivere potuit Parthenius Meinekeo propterea credi nequit, quia hoc ipsum solummodo significare possunt apud lexicographum neque aliter intelleguntur.
7) Adsenserunt Wachsmuth Symbol. phil. Bonn. p. 141, 10 et Kaibel Herm. XI. p. 373.
8) Suid. s. v. Ἀλέξανδρος Μιλήσιος et s. v. Τιμαγένης.

... πλέων δὲ ὑπὸ καταποντιστῶν ληφθεὶς ἐπράθη, s. v. Τυραννίων Ἐπικρατίδου ... ἤχθη δὲ εἰς Ῥώμην ληφθεὶς αἰχμάλωτος ὑπὸ Λουκούλλου, ὅτε κατεπολέμησε Μιθριδάτην τὸν Πόντου βασιλεύσαντα[1]· διαπρεπὴς δὲ γενόμενος ..., s. v. Φαίδων Ἠλεῖος (p. 1438 b) φιλόσοφος ... τοῦτον συνέβη πρῶτον αἰχμάλωτον ὑπὸ Ἰνδῶν (?) ληφθῆναι· εἶτα πραθεὶς πορνοβόσκῳ τινί ..., unde videre licet, quam acriter discernat Hermippus inter ληφθῆναι et πραθῆναι. Haud dubie igitur de duce, qui cepit, intellegenda sunt verba ἐλήφθη ὑπὸ Κίννα λάφυρον atque, cum de Cinna duce belli illius nihil sciatur, omnibus autem notus sit Luculli et in consulatu et in ipso bello collega, qui Bithyniam, Parthenii patriam, sortitus provinciam etiam pro consule per triennium tenebat[2]), M. Aurelius Cotta, pro tradito ὑπο Κιννα restituendum censeo ὑπο Κοττα, quod quam facile expelli notiore nomine potuerit, nemo non videt. Iam animadvertas, quomodo in glossis simillimis: Τυραννίων ... ληφθεὶς αἰχμάλωτος ὑπὸ Λουκούλλου, ὅτε Μιθριδάτην ... κατεπολέμησε et Παρθένιος ... ἐλήφθη λάφυρον ὑπὸ Κόττα, ὅτε Μιθριδάτην κατεπολέμησαν Ῥωμαῖοι apte et scite diversa posuerit verba Hermippus. Male enim, quamquam aemulus Luculli gloriae[3]), res gessit Cotta neque aliud quicquam potius quam praedam (λάφυρον) undique conquirere studuit ita, ut post decessum e provincia ab Heracleotis, quorum urbem per biennium obsessam a. 70 expugnavit et paene vacuam reliquit, Romae accusatus lato clavo privaretur dimissis ante decreto publico captivis[4]). Itaque inter alia multa etiam servulum transduxisse videtur Parthenium; qui, cum viderit Augusteam aetatem, natus est fere inter annos 90 et 85[5]).

Iam nobis disputandum est

de Philippi Corona

ac primum quidem de **Antipatro Thessalonicensi**, cuius epigrammata haud pauca praebent temporum indicia, quibus ex parte tantum recte usus est Iacobsius[6]).

Pisonem, ad quem missa novem extant poetae carmina[7]), esse

---

1) Donatum esse grammaticum a Lucullo Murenae, qui manumisit, narrat Plutarchus Lucull. 19.

2) Cic. pro Mur. 15, 33. Plut. Luc. 6—8. Appian. Mithr. 71. Frater eius erat C. Cotta, qui philosophiae Graecae, Academicae maxime, otium navavit, Cic. de deor. nat. I, 7, 16. II, 1.

3) Plut. l. l.

4) Memnon Heracleota apud Phot. cod. 214. c. 54—61. Cum ubi servus factus sit Parthenius, nesciatur neque quo in Bithyniae oppido natus sit, satis constet (v. Kaibel. l. l.), ubi vis tibi fingas eum in Cottae manus rapaces incidisse intra annos 74 et 70.

5) De carmine eius Κριναγόρας inscripto v. supra p. 397 et infra p. 421.

6) A. G. t. XIII. p. 849. Weigandii dissertationem de Antipatris Sid. et Thessal. poetis (1840) inspicere non licuit.

7) A. P. VI, 241. 249. 335. IX, 93. 428 (etsi enim nomen non ad-

L. Calpurnium Pisonem (cos. a. C. 15), qui annis a. C. 12—9 in Thracia cum Bessis bellum gessit[1]), scimus[2]). De patria poetae dubitari nequit lecto epigrammate IX, 428:

Cοί με, Θρηϊκίης cκυληφόρε, Θεccαλονίκη
 μήτηρ ἡ πάcηc πέμψε Μακηδονίηc.
Ἀείδω δ' ὑπὸ cοὶ δεδμημένον Ἄρεα Βεccῶν,
 ὅcc' ἐδάην πολέμου πάντ' ἀναλεξάμενοc.
Ἀλλά μοι ὡc θεὸc ἔcco κατήκοοc, εὐχομένου δὲ
 κλῦθι· τίc ἐc Μούcαc οὔατοc ἀcχολίη;

Loqui ipsum poetam, non carmen ad Pisonem de bello missum[3]) docet masculinum ἀναλεξάμενοc. Falso igitur Planudes in lemmate habet Ἀντιπάτρου Cιδονίου, recte superscriptum est: Θεccαλονικέωc[4]).

---

ditum est, tamen hoc quoque carmen Pisoni dedicatum esse constat inter omnes). 541. 552. X, 25. A. Plan. 184.

1) Dio LIV, 34. Vell. Pat. II, 98.

2) V. Iacobs A. G. XIII. p. 849.

3) Ut putat Iacobsius (in comment. A. G. t. VIII. p. 297), ipse tamen sibi obstans in catalogo l. l. legatum Thessalonicensium ad Pisonem venisse Antipatrum ex hoc ipso carmine suspicatus. De vera num cogitandum sit legatione, dubitarim: poetico fortasse sensu illud πέμψε interpretandum est neque urgendum.

4) Thessalonicensis nomen prae se fert ep. XI, 327:

Τὴν ξηρὴν ἐπὶ νῶτα Λυκαινίδα, τὴν Ἀφροδίτηc
 λώβην, τὴν ἐλάφου παντὸc ἀπυγοτέρην,
αἰπόλοc ἢ μεθύων οὐκ ἄν ποτέ φαcι cυνῴκει, —;
 γοῖ γοῖ· τοιαῦται Cιδονίων ἄλοχοι.

Interpugendum est v. 2 post ἀπυγοτέρην, non post αἰπόλοc et totum enuntiatum usque ad cυνῴκει intellegendum ut indignati interrogantis vel se ipsum vel alium: verbum obscoenum post ἀπυγοτέρην, ut similiter sescenties a poetis, omissum est. Propter ultima: τοιαῦται κ. τ. λ., quae minime „interrogative efferri" debent cum Duebnero (in adnott.), Sidonii esse carmen voluit Brunckius parum, ni fallor, considerate. Nam sive Sidonius fuit poeta sive Thessalonicensis, neque ille de patriae neque alteruter de Sidonis clarissimae urbis feminis talia potuit in medium proferre, sed de mulieribus haud dubie sermo est deformitate ac turpi libidine contemptis, quibuscum comparatur Lycaenis. Itaque pro Cιδονίων restituendum esse censeo Cιθονίων atque hic latere vestigium fabulae de Thracibus a Baccho nescio quam ob rem nec quomodo punitis, sicut etiam apud Horatium C. I, 18, 7 sqq.

Ac ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
debellata, monet Sithoniis non levis Euhius,
cum fas atque nefas exiguo fine libidinum
discernunt avidi . . .

et apud Ovidium Met. IV, 279 (ante Daphnidis fabulam):

Nec loquor, ut quondam naturae iure novato
ambiguus fuerit modo vir modo femina Sithon.

Cf. Fast. III, 719 (Bacchum adloquitur poeta):

Sithonas et Scythicos longum est narrare triumphos.

Omnium, quae res Romanas spectant, Antipatri epigrammatum antiquissima esse videntur epp. VI, 241. 335. IX, 552 (de armis Macedonicis Pisoni a Thessalonicensibus oblatis), quae paullo ante ipsam expeditionem a. C. 12 scripta esse docent ultimi versus carminis VI, 335:

τάχα κρόκες αἵ ποτε Πέρσας
τρεψάμεναι καὶ σοὶ Θρῆκας ὑπαξόμεθα[1]).

Finito bello a. C. 9 conditum est, quod iam exscripsi ep. IX, 428. v. 3:

ἀείδω δ' ὑπὸ σοὶ δεδμημένον Ἄρεα Βεσσῶν.

Videtur igitur in urbe patria illo ipso tempore cum Pisone consuetudinem iunxisse Antipater. Iam consideremus alia eius carmina. Ep. IX, 59:

Τέσσαρες αἰωροῦσι τανυπτερύγων ἐπὶ νώτων
  Νῖκαι ἰσηρίθμους υἱέας ἀθανάτων,
ἁ μὲν Ἀθηναίαν πολεμαδόκον, ἁ δ' Ἀφροδίταν,
  ἁ δὲ τὸν Ἀλκείδαν, ἁ δ' ἀφόβητον Ἄρη,
σεῖο κατ' εὐόροφον γραπτὸν τέγος· ἐς δὲ νέονται
  οὐρανόν, ὦ Ῥώμας Γαῖε πάτρας ἔρυμα.
Θείη ἀνίκατον μὲν ὁ βουφάγος, ἁ δέ σε Κύπρις
  εὔγαμον, εὔμητιν Πάλλας, ἄτρεστον Ἄρης

recte iam Heyneus rettulit ad C. Iulium Caesarem Vipsanium, filium Agrippae et Iuliae, qui natus a. C. 20, adoptatus ab Augusto 17, a. C. 5 princeps iuventutis una cum fratre a senatu appellatus[2]) missus est a patre in Orientem a. C. 1[3]), ante in matrimonium data

---

Ceterum interficitur, non mutatur Sithon Pallenes pater a Baccho apud Nonnum XLVIII, 185, itaque aliam fabulae formam novit Ovidius, aliam Nonnus. Pallene est Bacchi Σιθονίη ἄλοχος (Nonn. l. l. v. 150). Iam vides, quam vere tribuatur epigramma ad Thracum fabulam antiquissimam, ut videtur, alludens Thessalonicensi Antipatro.

1) Omnium primum conditum est, si recte conicio Pisonem eum esse, quem adloquitur in his versibus poeta, ep. IX, 92:

Ἀρκεῖ τέττιγας μεθύσαι δρόσος· ἀλλὰ πιόντες
  ἀείδειν κύκνων εἰσὶ γεγωνότεροι.
Ὣς καὶ ἀοιδὸς ἀνὴρ ξενίων χάριν ἀνταποδοῦναι
  ὕμνους εὐέρκταις οἶδε, παθὼν ὀλίγα.
Τοὔνεκά σοι πρώτως μὲν ἀμείβομαι· ἢν δ' ἐθέλωσιν
  Μοῖραι, πολλάκι μοι κείσεαι ἐν σελίσιν.

Ceterum cum initio epigrammatis conferendum est carmen Anacreonteum 32 (43):

Μακαρίζομέν σε τέττιξ
ὅτε δενδρέων ἐπ' ἄκρων
ὀλιγὴν δρόσον πεπωκὼς
βασιλεὺς ὅπως ἀείδεις.

2) Mommsen R. G. D. A.² III, 1—6. (p. 52 sqq.). Huc relata maiorem vim accipiunt verba Ῥώμας πάτρας ἔρυμα.

3) Mommsen l. l. ad V, 28. (p. 114).

Livia[1]). Sed caelibem adloquitur poeta, ut apparet e verbis ἅ δέ cε Κύπριc εὔγαμον (θείη); incidere igitur videtur carmen in annos a. C. 5—2. Porro ep. IX, 297:

Cτέλλευ ἐπ᾽ Εὐφρήτην, Ζηνὸc τέκοc· εἰc cὲ γὰρ ἤδη
ἠῷοι Πάρθων αὐτομολοῦcι πόδεc.
Cτέλλευ ἄναξ· δήειc δὲ φόβῳ κεχαλαcμένα τόξα,
Καῖcαρ· πατρῴων δ᾽ ἄρξαι ἀπ᾽ ἀντολέων·
Ῥώμην δ᾽, ὠκεανῷ περιτέρμονα παντόθεν, αὐτὸc
πρῶτοc ἀνερχομένῳ cφράγιcαι ἠελίῳ

neque cum Iacobsio ad Augustum a. C. 20 in Parthos iturum neque cum Reiskeo ad Germanicum in Orientem euntem p. C. 18 referendum est, sed Ζηνὸc τέκοc idem est, quem modo vidimus celebratum, Gaius Divi Augusti filius: ad hunc iussu patris in orientem profecturum a. C. 1 missum est epigramma; eundem tunc versibus prosecutus est Ovidius[2]), cuius sententiae, ut res fert, ex parte congruunt cum Antipatri:

Ovid. „*Ecce parat Caesar domito quod defuit orbi*
addere, nunc oriens ultime noster eris.“

Antip. Ῥώμην δ᾽ ὠκεανῷ περιτέρμονα παντόθεν αὐτὸc
πρῶτοc ἀνερχομένῳ cφράγιcαι ἠελίῳ.

Ov. „*Auguror en vinces*“ = Ant. δήειc δὲ φόβῳ κεχαλ. τόξα. Iam verba πατρῴων δ᾽ ἄρξαι ἀπ᾽ ἀντολέων, crux interpretum, explicari omnino nequeunt. Quomodo enim oriens, barbara Parthorum terra, dici possit πατρῷοc allato vel potius arrepto ab interpretibus Aenea proavo, non intellegitur. Corrupta sunt, facilia emendatu: πατρῴων δ᾽ ἄρξαι ἀπ᾽ ἐντολέων. Ovidius dicit (v. 191):

Auspiciis annisque patris puer arma movebis
et vinces annis auspiciisque patris.

πατρῷαι ἐντολαί sunt „monita paterna“, quae idem affert poeta Latinus Met. II, 126: „*monitis parere paternis*“. Iussu enim patris Gaius orientem petit[3]). Conditum igitur est carmen ipso anno a. C. 1.

Epigramma in Cotyn Thraciae regem (A. Plan. 75):

1) Tac. Annal. IV, 40.
2) A. a. I, 177 sqq.
3) Altiorem etiam sensum in verbis inesse puto: Ζηνὸc τέκοc vocatur Gaius itaque πατρῴων δ᾽ ἄρξαι ἀπ᾽ ἐντολέων nihil aliud est nisi ἐκ Διὸc ἄρξαι: In suum usum hic convertisse videtur Antipater quem bene novit Aratum, ut ep. IX, 541 (ad Pisonem)

Ἀλλὰ cὺ μηκέτ᾽ Ἄρητον ἐπίβλεπε, διccὰ γὰρ ἀμφοῖν
μέτρα πιὼν ἀθρεῖc πάντα τὰ φαινόμενα.

De re ipsa cf. Horat. C. IV, 14, 32

te copias, te consilium et tuos
praebente divos.

Ζηνὶ καὶ Ἀπόλλωνι καὶ Ἄρεϊ τέκνον ἀνάκτων
  εἴκελον, εὐκταίη μητέρος εὐτοκίη,
πάντα τοι ἐκ Μοιρέων βασιλήϊα, πάντα τέλεια
  ἦλθεν· ἐποιήθης δ' ἔργον ἀοιδοπόλων·
Ζεὺς σκῆπτρον βασίλειον, Ἄρης δόρυ, καλλοσύνην δὲ
  Φοῖβος ἔχει· παρὰ σοὶ δ' ἀθρόα πάντα, Κότυ

refert Iacobsius[1]) ad Cotyn Persae regis socium ipse a se dissentiens, cum sic Antipatri Thessalonicensis esse non possit, neque aptius Reiskeus ad eum Cotyn, cui p. C. 39 Caligula Armeniam minorem regnum reddidit. Recte tandem Mommsenus[2]) huius intellegit patrem, qui regnum obtinuit p. C. 12, ad quem misit Ovidius ex Ponto epistulam II, 9. Hoc carmen, quod certe non ante annum p. C. 12 Ovidius scripsit, scripsisse videtur hoc ipso anno, quo rex factus est et vicinus exulis Cotys, spectant haud dubie Antipatri verba ἐποιήθης δ' ἔργον ἀοιδοπόλων, unde post Ovidianam epistulam ortum esse hoc epigramma statuimus. Non tam accurate determinari possunt alia poetae carmina, in quibus tamen inest temporis nota:

Ep. IX, 553 in Nicopolin ab Augusto conditam:

Λευκάδος ἀντί με Καῖσαρ ἰδ' Ἀμβρακίης ἐριβώλου
  Θυρρείου τε πέλειν ἀντί τ' Ἀνακτορίου
Ἄργεος Ἀμφιλόχου τε καὶ ὅππoσα ῥαίσατο κύκλῳ
  ἄστε' ἐπιθρῴσκων δουρομανὴς πόλεμος,
εἵσατο Νικόπολιν, θείην πόλιν· ἀντὶ δὲ νίκης
  Φοῖβος ἄναξ ταύτην δέχνυται Ἀκτιάδος

non ipso, quo conditum est oppidum, tempore sed postea (εἵσατο) scriptum est: fortasse adiit poeta ludos Actiacos nescimus quo anno.

In statuam Pyladis Cilicis pantomimi[3]), ut docet lemma, factum est ep. A. Plan. 290. Huius ἀκμήν Hieronymus ponit in anno a. C. 22; in vivum scriptum esse carmen lemmati diffisus haud recte putavit Duebner[4]). Obiisse enim iam saltatorem evincere mihi videntur cum totius carminis color tum haec potissimum verba:

ἀνθρώποις Πυλάδης τερπνὸν δέος, οἷα χορεύων
  δαίμονος ἀκρήτου πᾶσαν ἔπλησε πόλιν,

statuam sibi fingere poetam vel revera ante oculos habuisse inscribendam verba:

οὐράνιος δὲ
οὗτος ὁ παμφώνοις χερσὶ λοχευόμενος.

---

1) In comment. A. G. t. VIII. p. 293.
2) Ephem. epigr. II. p. 254.
3) De quo v. Friedlaender Sittengesch. Roms II^5. p. 417.
4) In adnot. ad ep.

Quando autem decesserit Pylades, nescitur nec minus res incerta de Glycone, in quem mortuum legitur epigramma iambicum VII, 692[1]), quod inscribitur Ἀντιπάτρου οἱ δὲ Φιλίππου Θεσσαλονικέως. Philippi tamen non esse poemation existimo, quoniam Glycon floruisse videtur a. C. 20[2]), Philippus autem posterior etiam est Antipatro. Glaphyrus tibicen celebratus ep. IX, 517 idem fortasse est atque ille apud Wilmannsium Ex. 2636:

Ti. Claudius Glaphyrus chorauletes
Actionica et Sebastionica.

unde suspiceris Tiberii etiam regnum vidisse Antipatrum: cui favet, quod post annum p. C. 12 scriptum esse eius carmen in Cotyn regem cognovimus[3]).

Ep. XI, 24 in Heliconem οἰνοχόον referre velim ad Heliconem omnipotentem postea Caligulae cubicularium, qui antea hominis privati servus deinde Tiberio donatus est[4]). Hominem hunc privatum esse Pisonem facile credas, sed iam apud Tiberium fuisse, cum eum celebraret poeta, Heliconem ideo malim opinari, quia in antecedente eiusdem Antipatri epigrammate convictorem Tiberii agnoscere mihi videor: (ep. XI, 23):

Ὠκύμορόν με λέγουσι δαήμονες ἀνέρες ἄστρων·
  εἰμὶ μὲν, ἀλλ᾽ οὔ μοι τοῦτο, Σέλευκε, μέλει.
Εἰς Ἀίδην μία πᾶσι καταίβασις· εἰ δὲ ταχίων
  ἡμετέρη, Μίνω θᾶσσον ἐποψόμεθα.
Πίνωμεν· καὶ δὴ γὰρ ἐτήτυμον, εἰς ὁδὸν ἵππος
  οἶνος, ἐπεὶ πεζοῖς ἀτραπὸς εἰς Ἀίδην.

Neque enim Seleucus iste est Syriae rex neque Sidonius hoc scripsit Antipater, sed utrumque respuunt tempora, quae patent ex proxime sequente eiusdem poetae epigrammate. Immo Romae frequentissimi tunc erant astrologi, Tiberius ipse ad hanc artem inclinabat (Thrasyllum nomino), Seleucum autem novimus in aula versantem grammaticum[5]), cuius ad artem alludere mihi videtur poeta versibus 3—6; hanc artem et maxime quidem fabularem historiam

1) Iacobs A. G. t. VIII. p. 340. Videas etiam Lessingium opp. VIII. p. 526 ed. Lachm.

2) Quo fere anno e Kiesslingii sententia scripta sunt verba Horatii Ep. I, 1, 28

. . *et membra invicta Glyconis.*

3) Non debuit afferri a viris doctis Glaphyrus, cuius mentionem faciunt Iuvenalis VI, 77 et Martialis IV, 5. Nam hic prorsus alius est vixitque Domitiani temporibus. De nominibus artificum frequentatis egit Friedlaender l. l. II⁵. p. 568 sqq. Idem num sit Glaphyrus apud Kaibelium Ep. Gr. 640, 4, dubito, cum in citharoedi epitymbio vix omissae essent artis laudes.

4) Philo legat. ad Gaium 26. Cf. Friedlaender l. l. I. p. 101.

5) V. supra p. 387.

usque ad ineptias colebat Tiberius et *„quo primum die post excessum Augusti curiam intravit, quasi pietati simul ac religioni satisfacturus Minois exemplo supplicavit“* [1]). Patuisse autem principis aulae aditum una cum isto Graeculorum grege etiam Antipatro, praefecti urbis et pontificis maximi [2]) amico, facile credes [3]).

Vidimus carmina, quorum causae cognosci potuerunt, omnia spectare tempora post Pisonis bellum Thracicum usque ad Tiberii principatum, unde tunc cum Pisone Romam venisse Antipatrum pro certo statueres, nisi adhuc obstaret, quod ad tempora antecedentia potest referri, ep. X, 25:

Φοῖβε, Κεφαλλήνων λιμενοσκόπε, θῖνα Πανόρμου
  ναίων, τρηχείης ἀντιπέρην Ἰθάκης,
δός με δι᾽ εὐπλώτοιο πρὸς Ἀσίδα κύματος ἐλθεῖν,
  Πείσωνος δολιχῇ νηῒ συνεσπόμενον·
καὶ τὸν ἐμὸν βασιλῆα τὸν ἄλκιμον εὖ μὲν ἐκείνῳ
  ἵλαον, εὖ δ᾽ ὕμνοις ἄρτισον ἡμετέροις

Vulgo enim hoc referunt ad Pisonem in Pamphyliam provinciam [4]) Roma euntem, unde antea iam apud illum versatum esse Antipatrum efficeretur: quam sententiam falsam esse evincere non poteris. Attamen, nisi omnia me fallunt, hoc ipso potius carmine poeta patria deserta secutus Pisonem novosque petiturus penates prosperam deos sibi precatur fortunam. Non quidem legimus v. 3 πρὸς Ῥώμην, sed finito bello non statim Romam, sed antea in provinciam Asiam redire debuit Piso, ut πρὸς Ἀσίδα bene posset explicari [5]), non tamen, id quod concedo, ita bene, quod Apollinem Antipater implorat Cephallenium. Sed mirum hoc est etiam in homine Roma in Asiam proficiscente et tribuendum videtur „docto“ poetae artificiosum quaerenti carminis initium et doctrinae testimonio ornatum [6]). Restat ut versus duo ultimi explicentur. Et reicienda quidem est Rubensohnii [7])

---

1) Suet. Ti. 70.

2) Hos enim honores nactus est Piso regnante Tiberio (Tac. Annal. VI, 10) vixitque usque ad annum 32 (ibid.).

3) Ipsum Antipatrum ludi magistrum fuisse ex epigrammate V, 3 num sit colligendum (cum Rubensohnio ed. Crinagorae epigr. p. 13, 2), dubito, siquidem illud natum esse videtur ex imitatione carminis Ovidiani Amor. I, 13. Hunc poetam Latinum lectitatum esse ab Antipatro iam vidimus atque ex aliis huius epigrammatis collegit Iacobsius (ad V, 3 et 31).

4) Hinc demum in Thraciam arcessitus est. Dio LIV, 34.

5) Pisonem iter facere non ut privatum hominem, sed imperatorem docet δολιχὴ ναῦς i. e. navis longa.

6) Fortasse, ut iam suspicati sunt viri docti, Apollo hic Cephallenius peculiari cultus erat honore ideoque a poeta est invocatus. V. etiam ep. IX, 90 cum adnotatione Iacobsii (A. G. t. VIII. p. 347). De Panormi situ cf. Bursian Geogr. Gr. II. p. 376.

7) In editione Crinagorae p. 53 (n.): nonnulla ibi profert haud spernenda de imitatoribus Crinagorae dubitans saepius de Antipatro (p. 55), uter utrum sit imitatus. Vidimus iam et videbimus etiam Antipatrum esse posteriorem.

interpretatio verba τὸν ἐμὸν βασιλῆα ad Cotyn referentis. Quomodo enim (ne dicam de ipsis verbis τ. ἐμὸν β., quae minime quadrant in Cotyn) implorari potest regulus iste, ut propitius sit imperatori Romano? Principem Augustum dici, quamquam eum non posse vocari βασιλῆα idem non recte contendit vir doctus[1]), tamen ego quoque nego cum διὰ τὸ ἀπρεπές (etiam magis enim ineptus esset Graeculus pro Pisone Augustum quodammodo deprecans) tum propter ipsa verba τὸν ἐμὸν βασιλῆα et epitheton ἄλκιμον, quae nullo modo significare possunt „Ζῆνα" Augustum, sed probe intelleguntur tantum ipsum Pisonem spectantia, Antipatri patronum et regem[2]), cui epitheton ἄλκιμος tribuitur etiam VI, 335. v. 3: Hunc ut sibi propitium reddat aptumque carminibus, deum ultimis versibus implorat poeta novam patriam petens domum Pisonis. Sic res et verba intelleguntur praeter unum, quod ferri non iam potest, illud ἐκείνῳ, quod quo referendum sit, ne Oedipus quidem potuerit enucleare: nec nobis solum, sed haud dubie etiam aequalibus lectoribus hoc aenigma dedit solvendum poeta, si dedit: id quod nego. Desideratur enim et flagitatur commemoratio ipsius poetae loquentis, cui ἵλαος esto Piso[3]). In traditis verbis εὖ μὲν ἐκείνῳ non inest, inesse nequit, ergo coniectando restituenda est[4]).

---

1) Testimonia, ex quibus usos esse Graecos apparet voce quoque βασιλεύς ad significandum principem Romanum praeter verbum αὐτοκράτωρ, contulit Spanhemius Numism. II. p. 397. In poeta vero legi βασιλῆα non αὐτοκράτορα nemo miraretur.

2) V. Horat. Ep. I, 17, 43 et 19, 43 cum notis Kiesslingii.

3) Cf. eiusdem ad Pisonem epigramma IX, 93:

Ἀντίπατρος Πείσωνι γενέθλιον ὤπασε βίβλον
μικρήν, ἐν δὲ μιῇ νυκτὶ ποιησάμενος.
Ἵλαος ἀλλὰ δέχοιτο, καὶ αἰνήσειεν ἀοιδόν,
Ζεὺς μέγας ὡς ὀλίγῳ πειθόμενος λιβάνῳ.

4) Originem corruptelae inesse puto in verbis εὖ μὲν, quippe quae captandae causa oppositionis εὖ μὲν — εὖ δ' nata esse videantur e vocabulo non ita usitato, quod verbum fuit regens accusativum ἵλαον. Propono:

καὶ τὸν ἐμὸν βασιλῆα τὸν ἄλκιμον εὐμένισαί μοι
ἵλαον, εὖ δ' ὕμνοις ἄρτισον ἡμετέροις.

Vocabula synonyma εὐμενής et ἵλαος coniuncta passim inveniuntur, velut apud Theocritum V, 18: αἵ μοι (Νύμφαι) ἵλαοί τε καὶ εὐμενέες τελέθοιεν, Anth. Pal. IX, 512

Εὐμενέως πρώτοιο δεδεγμένος ὄργια βίβλου
φιλοπόνου γραφίδεσσι δεδειγμένα βένθεα μύθων
κοιράνου Αὐσονίοισι διδάσκαλε ἵλαος εἴης.

A. P. XV, 29, 6

ἵλαθι ἵλαθι μοι ὄμματι εὐμενέϊ.

Ipsum verbum εὐμενίζεσθαι alibi nonnisi a pedestris sermonis scriptoribus (Xenoph. Cyrop. III, 3, 12 Γῆν ἱλάσκετο χοαῖς καὶ θεοὺς θυσίαις καὶ ἥρωας . . . εὐμενίζετο. Appian. b. c. 4. εὐμενιζόμενος Καίσαρα) et raro quidem adhibitum noli obvertere, nam etiam verbum ἀρτίζειν apud unum extat

Cetera Antipatri epigrammata et in Pisonem, quae supra iam sunt enumerata[1]), et in alios homines Romae versantes[2]) quando scripta sint, nequit decerni[3]).

Egredi nunc opus est extra fines his quaestionibus constitutos ampliusque disputare de **Philippo Thessalonicensi** Antipatri populari, Coronae auctore, cum huius demum definita aetate de aliis poetis certum nanciscamur, ante quem floruerint, temporis terminum. Falsae enim esse mihi videntur sententiae adhuc prolatae. Recte quidem Iacobsius[4]) refutavit Reiskeum inter duos huius nominis poetas discernentem, ipse tamen non recte ita argumentatus est: Temporis momentum inest in Philippi epigrammate IX, 708, quo memorat molem Puteolanam exstructam Iuliumque Baiarum portum factum ab Agrippa a. C. 37. Extat autem in ipsa Corona poeta, qui Nerva imperante floruisse videtur, Automedon. Ergo epigramma illud non quidem cum Reiskeo alteri Philippo maiori tribuendum, sed imitatio tantum est epigrammatis Antiphili Byzantii VII, 379 „quod et ipsum fortasse ex antiquiore carmine ductum est". Ita omnia Philippi epigrammata, Augustea quae spectant tempora, ex antiquiorum poetarum imitatione profluxisse, ipsum vero Traiani aetate Coronam composuisse censet vir clarissimus.

Haec vel repetita vel tacite probata etiam hodie vigent[5]) neque extitit, qui interrogaret, nonne mirum esset nullum inveniri in Philippi carminibus Traiani temporum vestigium, quae vero extarent Augusteae aetatis, soli deberi imitationi. Iam nos pedetemptim progredientes singula omnia denuo examinemus, ac primum epigramma illud Philippi IX, 708:

Ἔζευξ' Ἑλλήσποντον ὁ βάρβαρος ἄφρονι τόλμῃ
  τοὺς δὲ τόσους καμάτους πάντας ἔλυσε χρόνος·
ἀλλὰ Δικαιάρχεια διηπείρωσε θάλασσαν
  καὶ βυθὸν εἰς χέρσου σχῆμα μετεπλάσατο,
λᾶα, βαθὺ στήριγμα, κατερρίζωσε πέλωρον,
  χερσὶ Γιγαντείαις δ' ἔστασε νέρθεν ὕδωρ.
Ἦν ἅλ' ἀεὶ πλώειν· διοδευομένη δ' ὑπὸ ναύταις
  ἄστατος εἰς πεζοὺς ὡμολόγησε μένειν.

hunc Antipatrum, ἀρτίζομαι praeter locum Theocriti XIII, 43 (Νύμφαι χορὸν ἀρτίζοντο) item non invenis nisi apud pedestris sermonis scriptores Diodorum XIV, 20 et Sextum Empiricum, adv. math. II, 208. p. 728.

1) P. 405. n. 7.

2) VII, 185. 367. IX, 567.

3) Ceterum inter se conferenda sunt initia epp. VII, 185. 367. A. Plan. 184: Αὐσονίη με Λίβυσσαν ἔχει κόνις, Αὐσονίου Ἠγερίου μ' ἐλέει νεκύν, Αὐσονίῳ Πείσωνι συνασπιστής. Talia in deliciis habuisse videtur Antipater; simile aliquid invenitur nonnisi apud poetam aetatis Iulianeae IX, 803.

4) In prolegomenis commentarii A. G. t. VI. p. XLIV sq.

5) V. Christ l. l. p. 526.

Non potest loqui poeta de Agrippae portu Iulio, quoniam hic prorsus contrario modo factus est[1]), perfossa terra inter mare et lacum Avernum, itaque (ut sequar poetam) non mari in terram, sed terra in mare transformata, opera non ita multa neque digna talibus verbis[2]). Haud dubie potius referendum est epigramma ad pontem illum famosum a Caligula in sinu Puteolos inter et Baias factum, de quo haec Suetonius[3]): . . . *„Baiarum medium intervallum ad Puteolanas moles, trium milium et sescentorum fere passuum spatium, ponte coniunxit contractis undique onerariis navibus et ordine duplici ad anchoras conlocatis superiectoque aggere terreno ac directo in Appiae viae formam. Per hunc pontem ultro citro commeavit biduo continenti, primo die falerato equo . . . postridie quadrigario habitu . . . comitante praetorianorum agmine et in essedis cohorte amicorum. Scio plerosque existimasse talem a Gaio pontem excogitatum aemulatione Xerxis, qui non sine admiratione aliquanto angustiorem Hellespontum contabulaverit*[4]). Adicere quicquam ad explicandum Philippi carmen non opus est. Quando factus sit pons, apparet ex addita a Suetonio altera causa, cur fecerit Caligula: *„alios* (scil. existimasse Gaium hoc excogitasse), *ut Germaniam et Britanniam, quibus imminebat, alicuius immensi operis fama territaret“*, ante scilicet expeditionem Britannicam factam p. C. 40. Anno igitur 38 aut 39 epigramma illud scripsit Philippus.

Iam videndum de Antiphili Byzantii carmine, ex quo suum duxisse aiunt Philippum. Legitur A. P. VII, 379:

Εἰπὲ Δικαιάρχεια, τί σοι τόσον εἰς ἅλα χῶμα
  βέβληται, μέσσον γευόμενον πελάγους;
Κυκλώπων τάδε χεῖρες ἐνιδρύσαντο θαλάσσῃ
  τείχεα· μέχρι πόσου, Γαῖα, βιαζόμεθα;
Κόσμου νηΐτην δέχομαι στόλον· εἴσιδε Ῥώμην
  ἐγγύθεν, εἰ ταύτης μέτρον ἔχω λιμένα.

Celebrat poeta ingentes portus Puteolani moles[5]) neque quae leguntur verba ullam praebent temporis notam. Tamen nescio an spectetur Gai opus verbis μέχρι πόσου Γαῖα βιαζόμεθα, ut scribendum sit Γαῖε pro Γαῖα et gradatio existat huius modi: *„Tantae eductae sunt moles* (βέβληται — ἐνιδρύσαντο), *quousque nunc urgemur* (βιαζόμεθα)? E Friedlaendero[6]) video pilarum harum nunc etiam stare sedecim, quae *„pons Caligulae“* nominantur. Certe autem conditum est carmen ante factum a Claudio Ostiae portum, qui obscuravit Puteolani gloriam.

---

1) Dio XLVIII, 50. Verg. Georg. II, 161.
2) Cf. Kiesslingium ad Horat. Art. poet. v. 64 sqq.
3) Cal. 19.
4) Quibuscum conferendus etiam Dio LIX, 17.
5) V. Friedlaender l. l. II⁵. p. 124.
6) L. l. p. 125.

Restat, ut examinemus, num revera Automedon poeta, quem Coronae inseruit Philippus, vixerit Nervae aetate, cum legatur eius in Niceten oratorem ep. X, 23, quem dicunt esse Nervae aequalem:

Νικήτης ὀλίγος[1]) μὲν ἐπὶ προτόνοισιν, ἀήτης
οἷά τε, πρηείης ἄρχεται ἐκ μελέτης·
ἀλλ᾽ ὅταν ἐμπνεύσῃ, κατὰ δ᾽ ἱστία πάντα φέρηται,
λαίφεα πακτώσας, μέσσα θέει πελάγη,
ναῦς ἅτε μυριόφορτος, ἕως ἐπὶ τέρματα μύθων
ἔλθῃ ἀκυμάντους ἔμπεδον[2]) εἰς λιμένας.

Attulerunt sophistam Smyrnaeum[3]), quia excessit e memoria notissimus aevi Augustei rhetor primo inter aequales loco nominatus ab Hieronymo ad annum a. C. 31: *„Nicetes et Hybreas et Theodorus et Plutio nobilissimi artis rhetoricae graeci praeceptores habentur"*[4]). Epigrammate Automedontis navis imagine effertur impetus Nicetis oratorius vel potius declamatorius, atque de ipso hoc rhetore Seneca[5]) dicit: *„Nicetes suo impetu valde Graecis placuerat"*. Augusti igitur non Nervae aequalis erat Automedon.

Relapsis e Traiani temporibus ad Caligulae circumspiciendum nobis erit, num quid Philippi aetati Gai regno adsignandae obstare videatur. Ac primum quidem ipsius carmina perlustranda, tunc ceterorum poetarum quos conlegit aetas, quoad possit, definienda est.

Ostentum poetice exornatum epigrammate IX, 307 (de lauro ex Augusti ara enata) inter nota eiusmodi facta[6]) referri tantum potest ad Quintilianeum illud[7]): *„Augustus nuntiantibus Tarraconensibus palmam in ara eius enatam, apparet, inquit, quam saepe accendatis"*[8]). Recte enim Iacobsius dicit acuminis captandi gratia laurum pro palma posuisse poetam — suam ipsius de imitatore Philippo sententiam sic redarguens[9]).

Simile quoddam legitur ep. VI, 236: apium examen spoliis navalibus Actiacis adhaesisse. Iam cum Strabo narret[10]) ὑπὸ πυρὸς

1) ὀλίγοις Hecker, male diffisus traditae scripturae: recepit coniecturam Duebner.

2) ἔμπεδον scripsi: ἔμπροσθεν Cod., ἔμπορος Plan. et edd.; quam esse ineptam coniecturam ex emporio Planudis iam vidit Salmasius. Ἔμπεδον est *certa via, tuta;* cf. Od. ν 86 (itidem de nave): ἡ δὲ μάλ᾽ ἀσφαλέως θέεν ἔμπεδον. Saepius apud Homerum cum synonymo ἀσφαλής coniunctum invenis.

3) De quo cf. Tac. dial. 15. Plin. epp. VI, 6. Philostr. Vit. soph. I, 19.

4) V. supra p. 400. c. n. 1.

5) Suas. III, 6.

6) Iacobs A. G. t. IX. p. 190. Quibus addatur, quod de palma Romae ante aedes Augusti enata narrat Suetonius Aug. 92.

7) VI, 3, 77.

8) Etiam in nummis conspicitur haec ara eminente palma. V. Eckhel Doctr. Numm. I. p. 58.

9) Hic statui non posse imitationem satis docet vocabulum νῦν (v. 1).

10) VI. p. 325.

δ' ἠφανίσθαι καὶ οἱ νεώσοικοι λέγονται καὶ τὰ πλοῖα[1]), hoc quoque carmen ex antiquiore expressum esse male putat Iacobsius[2]). Etenim etiamsi incendio deleta essent illa, antequam Strabo haec scriberet, Philippus hoc epigramma condere potuit. Ubi tamen condidit? Vidisse eum quod narrat vix putaveris. Romae eum commoratum esse scimus. Hoc igitur faustum prodigium ut illud de palma aliaque Romae ni fallor audivit, quo Caesari has ad res nimis animum attendenti nuntiabantur. Sic utrumque carmen regnante Augusto conditum esse censemus.

Ep. VII, 362 est in Aetium rhetorem mortuum:

Ἐνθάδε τὴν ἱερὴν κεφαλὴν σορὸς ἥδε κέκευθεν
 Ἀετίου χρηστοῦ, ῥήτορος εὐπρεπέος[3])·
Ἤλυθεν εἰς Ἀΐδαο δέμας ψυχὴ δ' ἐς Ὄλυμπον κ. τ. λ.[4]).

Emendandum puto Αἰετίου pro Ἀετίου et intellegendum notum e Seneca[5]) rhetorem Aietium Pastorem, „*qui controversiam apud L. Cestium (Pium) dixit iam senator*[6]). Cestius Romae docens floruit a. C. 13 teste Hieronymo vixitque usque ad annum p. C. 17[7]). Bene igitur quadrare videmus epigramma in tempora adhuc constituta, inter Augustum et Caligulam.

Reliqua Philippi carmina res Romanas spectantia quamquam certam temporis notam offerunt nullam[8]), possunt tamen scripta esse his temporibus omnia. Deinceps poetae singuli in eius Coronam recepti sunt percensendi.

De **Antiphili Byzantii** epigrammate in portum Puteolanum iam disseruimus[9]). Aliud est in insulam Rhodum IX, 178:

Ὡς πάρος Ἀελίου, νῦν Καίσαρος ἁ Ῥόδος εἰμί
 νᾶσος, ἴσον δ' αὐχῶ φέγγος ἀπ' ἀμφοτέρων·

---

1) Id quod ignorant Dio LI, 1 et Suetonius Aug. 18.
2) A. G. t. IX. p. 170.
3) ἐκπρεπέος corrector, Brunck, Duebner.
4) In codice secuntur versus disturbati et interpolati

 δ' ἐν ῳ
 ἦλθεν εἰς ἀίδαο δέμας, ψυχὴ δ' ες Ὄλυμπον
 τέρπετ' ἅμα Ζηνὶ καὶ ἄλλοισιν μακάρεσσιν.
 ἀθάνατον δὲ οὔτε λόγος ποιεῖν οὔτε θεὸς δύναται,

de quibus v. adnotationes criticas Iacobsii et Duebneri. Certi quicquam non efficitur. Recte tamen in ultimo versu hexametri exitum et integrum pentametrum adgnovit Hecker. Planudes omnia in brevius coegit: ἀθάνατον ποιεῖ δ' οὐ λόγος οὔτε θεός.
5) Contr. I, 3, 11.
6) Non igitur hoc loco optimis libris diffidendum, sed coniecturis abstinendum est. Eiusdem gentis puto esse nomen quod lapides servarunt, Aiedia (apud Mommsenum I. R. N. 4330. 4788. 6166. 7253).
7) Lindener De Cestio Pio p. 6; v. supra p. 400 c. n. 3.
8) VI, 5. 240. VII, 234. IX, 285 (ad quod conferendus est Friedlaender l. l. II[5]. p. 356).
9) P. 414.

ἤδη cβεννυμέναν με νέα κατεφώτιcεν ἀκτίc,
  Ἅλιε, καὶ παρὰ cὸν φέγγοc ἔλαμψε Νέρων.
Πῶc εἴπω, τίνι μᾶλλον ὀφείλομαι; ὃc μὲν ἔδειξεν
  ἐξ ἁλόc· ὃc δ' ἤδη ῥύcατο δυνομέναν.

Iacobsius[1]) seductus sua de Philippo sententia mavult de Nerone haec dici quam de Tiberio. Attamen in Neronem minime quadrant versus primi, aptissimi sunt ad Tiberium relati, qui octo annos a. C. 6 — p. C. 2 in insula degit[2]). Dubitatio esse nulla iam potest collato epigrammate Apollinidis extantis itidem in Philippi Corona IX, 287:

Ὁ πρὶν ἐγὼ Ῥοδίοιcιν ἀνέμβατοc ἱερὸc ὄρνιc,
  ὁ πρὶν Κερκαφίδαιc αἰετὸc ἱcτορίη,
ὑψιπετῆ τότε ταρcὸν ἀνὰ πλατὺν ἠέρ' ἀερθεὶc
  ἤλυθον, Ἠελίου νῆcον ὅτ' εἶχε Νέρων·
κείνου δ' αὐλίcθην ἐνὶ δώμαcι, χειρὶ cυνήθηc
  κράντοροc, οὐ φεύγων Ζῆνα τὸν ἐccόμενον.

Illustrari hoc carmine rem a Suetonio[3]) narratam omnes consentiunt, conditum autem id esse post Tiberii adoptionem factam tertio anno post (p. C. 4) ex ultimis eius verbis recte iam collegit Iacobsius[4]), quin etiam propter vaticinium istud et verba τότε — ὅτε — εἶχε revera iam fuisse principem tunc Tiberium putarim. Certe scriptum est post Antiphili carmen, quod incidere in ipsum tempus, quo Rhodi commorabatur Tiberius, verba evincunt νῦν Καίcαροc . . . εἰμί.

Antiphili ep. VII, 641[5]) de horologio ab Athenaeo quodam publice posito temporis notam non continet[6]). Ep. VI, 97 in hastam Alexandri Magni fortasse illustrant Suetonius[7]) et Dio[8]), qui narrant „thoraca Alexandri Magni“ induisse Caligulam, cum transveheretur trans pontem illum, et ipsi, si nobis credis, celebratum Antiphilo[9]). Atque notum est, quanto opere soliti sint Alexandri memoriam recolere inde a Divo Iulio principes Romani[10]). Sabinus laudatus ep. IX, 306, inventor navium coriacearum, sitne notus e

1) T. IX. p. 51 sq.
2) Suet. Ti. 14.
3) L. l.
4) T. VIII. p. 363.
5) Falso, ut recte iam monuit Duebner, inter sepulcralia receptum.
6) Hunc Athenaeum neque eum esse, qui ad Marcellum Syracusarum expugnatorem scripsit περὶ μηχανικῆc, neque alterum eum, qui Gallieni imperatoris vixit temporibus, contra Reiskeum recte iam affirmavit Iacobsius l. l. t. XIII. p. 851.
7) Cal. 52.
8) LIX, 17.
9) V. supra p. 414.
10) V. Friedlaender l. l. II. p. 165.

Tacito Poppaeus Sabinus[1]) (cos. p. C. 9), quamquam esse potest, quis dicat? Certe ex his, quae disputavimus, sequitur vixisse Antiphilum Augusti et Tiberii, fortasse etiam Caligulae aetate, itaque aequalem Philippi fuisse.

Venimus ad **Automedontem**, cuius ad aetatem definiendam iam epigrammate in Niceten rhetorem usi sumus. Aliud vestigium observarunt viri docti ep. XI, 319:

Ἀνθρακίων δέκα μέτρα φέρων, ἔcο καὶ cὺ πολίτης·
ἣν δὲ καὶ ὗν ἀγάγῃς, αὐτὸς ὁ Τριπτόλεμος.
Δεῖ δὲ καὶ Ἡρακλείδῃ ὑφηγητῆρι δοθῆναι
ἢ καυλοὺς κράμβης ἢ φακὸν ἢ κοχλίας.
Ταῦτ᾽ ἔχε καὶ λέγε cαυτὸν Ἐρεχθέα, Κέκροπα, Κόδρον,
ὅν κ᾽ ἐθέλῃς· οὐδεὶς οὐδὲν ἐπιστρέφεται.

Recte enim haec rettulerunt ad Atheniensium in vendenda civitate facilitatem, atque ansam statuerunt carminis videri fuisse quod Dio[2]) narrat, dico Augustum a. C. 21 vetuisse Athenienses μηδένα πολίτην ἀργυρίου ποιεῖcθαι[3]). Viden', quam bene congruant tempora cum priore illo in Niceten epigrammate? Antiquior igitur paullo Philippo fuit Automedon.

Apollonidem fuisse Tiberii aequalem modo vidimus[4]). Aliquid disci posse videtur, sed videtur tantum, ex epigrammate X, 19:

Ἡδὺ παρειάων πρῶτον θέρος ἤματι τούτῳ
κείρεο, καὶ γενύων ἠιθέους ἕλικας,
Γάϊε· cὸν δὲ πατὴρ χερὶ δέξεται εὐκτὸν ἴουλον
Λεύκιος αὐξομένου πουλὺν ἐς ἠέλιον·
Δωρεῦνται χρυσέοισιν, ἐγὼ δ᾽ ἱλαροῖς ἐλέγοισιν·
οὐ γὰρ δὴ πλούτου Μοῦσα χερειοτέρη.

Expressum esse hoc ex Antipatri Thessalonicensis ep. VI, 198 iniuria adnotat Iacobsius[5]). Etenim si omnino imitatio esset statuenda,

1) Iacobs t. IX. p. 56. Quod antea iam tale quid conatus est Rufus Salvidienus (Dio XLVIII, 18), nihil ad poetam neque ad nos.

2) LIV. 7.

3) ὑψηγητήρ (Heraclides) quid sibi velit, ambigunt viri docti, v. Iacobs t. IX. p. 133. Idem est, ni fallor, atque ἐφηγητήρ i. e. qui ἐφηγεῖται τοῖς ἄρχουσί τινα, ut accuset: id quod vocabant ἔφηγησιν vel ὑφήγησιν (cf. C. F. Hermann Gr. Staatsaltertümer[5] §. 137, 10). Accusator igitur timendus erat Heraclides hominibus, qui Athenienses se vocabant, non tamen erant. De re ipsa conferas Nicolaum Damascenum (de vita sua 6. = F. H. G. III. p. 355) . . κατεγέλα δὲ καὶ τῶν καθ᾽ αὑτὸν σοφιστῶν, οἳ μεγάλοις τιμήμασιν ἐωνοῦντο Ἀθηναῖοι ἢ Ῥόδιοι καλεῖσθαι, βαρυνόμενοι τὴν ἀδοξίαν τῶν πατρίδων· ἔνιοι δὲ καὶ συνέγραψαν περὶ τοῦ μὴ εἶναι ἀφ᾽ ἧς πόλεως ἦσαν, ἀλλ᾽ ἀπό τινος τῶν δι᾽ ὀνόματος Ἑλληνίδων.

4) Reiskeum inter plures, ut solet, discernentem Apollonides recte iam refutavit Iacobs t. XIII. p. 854.

5) T. VIII. p. 357. In primo et altero versu Apollonidem imitatum esse Callimachum (h. Del. 298) vidit Ruhnkenius. Falsa igitur sunt, quae

e contrario illud epigramma dedicatorium ficticio, ut videtur, nomine (Λύκων) ex hoc, verum cui subest factum, depromptum esse iudicaremus. Quis tamen Gaius fuerit filius, pater Lucius, ego nolo rimari. Certe non sunt e familia principis, quoniam prorsus aliter tunc esset locutus poeta[1]), sed videtur filius patroni nobis ignoti barbam posuisse: id quod ansam dedit pangendi carminis.

Non recte adhuc intellectum est epigramma Apollinidis IX, 280:

Λαίλιος Αὐσονίων ὕπατον[2]) κλέος εἶπεν ἀθρήσας
  Εὐρώταν· Σπάρτης χαῖρε φέριστον ὕδωρ·
Μουσάων δ᾽ ἐπὶ χεῖρα βαλὼν πολυίστορι βίβλῳ,
  εἶδεν ὑπὲρ κορυφῆς σύμβολον εὐμαθίης·
κίτται, μιμηλὸν βιότου πτερὸν, ἐν σκιεροῖσιν
  ἄγκεσι παμφώνων μέλπον ἀπὸ στομάτων·
ὡρμήθη δ᾽ ἐπὶ ταῖσι. Τί δ᾽ οὐ ζηλωτὸς ὁ μόχθος,
  εἰ καὶ πτηνὰ ποθεῖ[3]) γάρυος ἡμετέρης.

Lemmati additum ζήτει ἔννοιαν τοῦ ἐπιγράμματος. Neque igitur scholiasta intellexit nec qui „obscurum esse sensum, sed quem frustra quaesiveris“ fatetur Brunckius[4]). Esse mihi videtur carmen irrisorium[5]) in poetam μιμηλόν, qui opus conscripsit gravi doctrina vel ornatum vel oneratum: verba Σπάρτης χαῖρε φέριστον ὕδωρ ipsius esse videntur, imitatrices aves videt σύμβολον εὐμαθίης[6]) i. e. sui ipsius. In fine quoque iocosus est poeta nec tamen satis perspicuus. Desunt enim ultima in codice atque dubitari potest, num vera exhibeat Planudes, praesertim cum forma γάρυος sola sit Dorica hoc in epigrammate. Tamen sensus hic fere esse videtur: Cur non laudabilis (Laelii) labor, si aves quoque imitari nos student (scil. sicut ille nos passim imitatur). Sed quaeras ipse meliora: certe si carmen irridendi causa scriptum est, non solum apparet male mutatum esse a scholiasta, qui non intellexit, emendare tamen cupiebat, ὕπατον in ὑπάτων[7]), sed etiam reiciendam esse[8]) Heckeri coniecturam v. 3: Μουσάων ἐπίχειρα λαβών i. e. Musarum gratiam assecutus, quod languet et friget. Prorsus apta potius sunt tradita verba. Fingitur

de Antipatri imitatore in his versibus Apollonide protulit Iacobsius t. VIII. p. 302, refert Duebner ad ep. VI, 198. v. 3.

1) Cf. e. g. Thalli ep. VI, 235, infra p. 426.

2) Sic manus prior, altera (lemmatistae) superscripsit ὑπάτων, inepte: quod receperunt editores.

3) Desunt ultima duo verba in codice, supplevisse videtur de suo Planudes.

4) Iac. A. G. t. VIII. p. 369.

5) Genus epigrammatum expolitum postea a Lucillo.

6) Meminisse videtur poeta, ut monuit Maassius, Callimachi illud Ἀρήτου σύμβολον ἀγρυπνίης (ep. 27 Wil.), unde verum ibi restituisse Ruhnkenium firmatur.

7) Id est: Laelius, Ausoniae summa gloria; cf. Crinagorae ep. 24 R. = A. P. VII, 741. Ὀθρυάδην, Σπάρτης τὸ μέγα κλέος.

8) Quam in textum recepit Duebner.

poeta iste Laelius circumvagans libellum suum secum portans doctissimum, cui Eurotam adspiciens manum imponit vociferans: Cτάρτης κ. τ. λ. Vivida pingitur imago: ἤθρει — ἐπέβαλε — εἶπε — εἶδε — μέλπον — ὡρμήθη: inter haec non locus est pedestri ille M. ἐπίχειρα λαβών[1]).

Evanuit igitur consul anni a. C. 6 Laelius, tamen aliquid lucrati esse videmur: veri enim simillimum factum est, quod coniecit Reiskeus, hunc Apollonidem esse Nicaeensem eum, qui commentarios Sillorum ad Tiberium misit[2]) hoc poeseos genus ex ingenii indole adamantem[3]).

Neque ex epigrammatis neque aliunde certius quicquam constat de poetis Antiphane Parmenione Eueno[4]). Antigonus[5]) fueritne Romae, nescitur, idemque cadit in Bianorem, cuius tamen aetas definitur ex epigrammate IX, 423 in Sardes terrae motu obrutas p. C. 17[6]). Diodorum Zonam Sardianum Romae fuisse non veri simile est[7]). Iunioris Diodori Sardiani aetatem bene congruere cum Philippi temporibus ex eis, quae supra[8]) disputavimus, apparet. Adde quod unum, qui restat e Corona Philippi, poetam Crinagoram certo scitur Augusto regnante Romae degisse, iam vides undique firmatum, quod diximus, vixisse Philippum ab Augusti aetate usque ad Caligulae tempora, quo sub principe Coro-

---

1) Adde quod hic quoque animo poetae obversatus esse videtur Callimachus (ep. 2, 6 Wil.)

ᾗςιν ὁ πάντων
ἁρπακτὴς Ἀΐδης οὐκ ἐπὶ χεῖρα βαλεῖ.

2) V. supra p. 387 i. f.

3) Ep. VII, 233 de Aelio milite forti et VII, 378 in coniuges una mortuos Heliodorum et Diogeniam nullius ad nostram rem sunt momenti. Erravit Kaibelius (ind. scholl. Gryph. 1885. p. IV) Philodemi aequalem Apollonidem fuisse ratus. Smyrnaei enim cognomen nusquam additum est: in lemmate epigrammatis A. Plan. 235 teste Iacobsio legitur Ἀπολλωνίου τ. Cμυρν. Porro Apollonidem Smyrnaeum Stoicum (in Philod. ind. Stoic. Hercul. col. 52), quem esse vult hunc poetam vir doctissimus, contra temporum rationem a Comparettio habitum esse pro Catonis Uticensis amico adseverat Zeller III^3, 1. p. 48.

4) Euenus in Coronam receptus, quis sit inter Anthologiae poetas homonymos, nequit diiudicari. Huius tamen esse putarim ep. IX, 62, quia alphabeticum Philippi ordinem agnoscere mihi videor: ep. 58 Antipatri, 59 eiusdem, 60 Diodori, 61 anonymi, 62 Eueni.

5) De quo v. Wilamowitz Antig. Caryst. p. 169 et in appendice p. 339.

6) Occurrit T. Claudius Bianor in lapide apud Mommsen. I. R. N. 7118.

7) V. supra p. 394. Falso interpretantur huius ep. XI, 43:

Δός μοι τοὐκ γαίης πεπονημένον ἁδὺ κύπελλον,
ᾇς γενόμην καὶ ὑφ᾽ ᾇ κείσομ᾽ ἀποφθίμενος.

Non „testaceum sibi dari postulat poeta poculum, qualia in Attica praesertim et in Samo fingebantur" (Iacobs t. VIII. p. 201. Duebner ad l.), sed Lydus poeta vinum postulat patria e terra πεπονημένον, Lydium, Tmolitam dulcedine insignem (Plin. H. N. XIV. §. 74): ἁδὺ κύπελλον est κ. οἴνου ἁδέος.

8) P. 394 sq.

nam composuisse videtur. Iam si quaerimus, quis fuerit Camillus, ad quem misit Coronam auctor, apte arcessemus C. Arruntium Camillum Scribonianum cos. p. C. 32, qui postea Claudio insidiabatur. Hic fuerit βαcιλεύc, cuius pro valetudine se dis sacra facturum esse spondet Philippus VI, 240. Una denique vidimus cum Antipatro Romae eum commoratum esse, nec casui haud dubie debetur, quod populari primus in Corona datus est locus[1]).

Crinagorae Mytilenaei epigrammatum peculiarem nuper composuit editionem Rubensohnius prolegomenis instructam, quorum in capite primo de vita poetae disputatum est. Quae supplevit vel mutavit Cichorius[2]) ex titulis Mytilenis ab ipso inventis et editis. Nobis, qui quamquam in universum cum eo consentimus, de singulis tamen carminibus aliter iudicamus, forte fortuna accidit, ut disputationem de novis Cichorii titulis Asiaticis scriberet Mommsenus[3]): ibi quae disseruit vir summus, ut iam in Potamone et Theodoro rhetoribus[4]) ita in tractando Crinagora egregie nobis subvenerunt. Haesi equidem, ut supra iam dixi, olim in eo, quod ex eis, quae de utriusque aetate adhuc constare viderentur[5]), Parthenius senex septuaginta fere annorum carmen in Crinagorae honorem condidisse putandus erat. Quae offensio sublata est, postquam Mommsenus demonstravit Crinagoram sedecim iam annos ante, quam adhuc putaretur, a. C. 45 primum Romam venisse. Etiam ad ipsa poetae carmina explicanda, quippe quae omnia fere certae debeantur occasioni, haud exigui esse momenti hanc certiorem temporis notam apparet. Aliter enim nunc nonnulla sunt intellegenda, initiumque corrigendi ipse fecit Mommsenus, de epigrammate 32 R. = A. P. IX, 284[6]) refutata Cichorii sententia. Iam proferantur et quae antea iam nobis inventa firmata nunc sunt et quae vestigia prementes Mommseni videmur detexisse.

Ep. 46 R. = A. P. X, 24 recte relatum est a viris doctis ad poetae iter Italicum, minime vero liquet, utrum prius fuerit an alterum[7]). Potest igitur scriptum esse aut a. 45 aut 25[8]).

Ep. 43 R. = A. P. IX, 559, crux interpretum, sic incipit:

Πλοῦc μοι ἐπ' Ἰταλίην ἐντύνεται· ἐc γὰρ ἑταίρουc
cτέλλομαι ὧν ἤδη δηρὸν ἄπειμι χρόνον.

1) Nihil igitur hinc de temporibus poetarum colligendum est cum Rubensohnio in ed. Crinag. p. 3.

2) Rom und Mytilene p. 47 sqq. Respondit nonnulla Rubensohnius in editionis appendice p. 117 sqq.

3) Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1889. p. 973 sqq.

4) V. supra p. 396 sq.

5) Natum scil. esse Parthenium fere a. C. 90, Crinagoram autem Romae manere coepisse a. C. 25, cf. supra p. 397.

6) In coloniam a. C. 44 a Caesare Corinthum deductam.

7) Ad prius referunt viri docti, nulla coacti causa.

8) De hac altera legatione (cf. Cichorius l. l. p. 43 et 62) nunc inter omnes constat.

Haec verba qui legit non occupato iam animo, aliter intellegere nequit nisi poetam in Italiam navigaturum gaudere visurum amicos, a quibus diu iam absit, quos scilicet aliquando ibi reliquerat, iterum igitur illuc esse profecturum. Miror, quod Rubensohnius[1]) nunquam sibi persuasum iri adseverat renavigaturum in Italiam hoc carmen panxisse poetam et ἑταίρους interpretatur Mytilenaeos esse, qui olim iam ante Crinagorae legationem e patria Romam emigraverint[2]), atque magis etiam miror, quod cognitis per Cichorium duobus poetae itineribus Romanis perversam suam retinuit sententiam[3]) „supersedens Cichorium refutare", qui etsi nunc corrigendus, via tamen ac ratione processit[4]): cum enim ad alteram legationem anni 25 praecedente priore anni 29 minus apte referri epigramma recte senserit, necessitate coactus suo iure de tertia etiam posteriore Crinagorae in Italiam navigatione coniecturam fecit. Nobis nunc res plana est: conditum est carmen paullo tempore ante alteram legationem a. C. 25. Verba optime intelleguntur, cum post prius iter anno 45 susceptum viginti iam quattuor anni praeteriverint[5]).

Ep. 24 R. = A. P. VII, 741:

Ὀθρυάδην, Σπάρτης τὸ μέγα κλέος, ἢ Κυνέγειρον
  ναυμάχον ἢ πάντων ἔργα κάλει πολέμων·
Ἄρεος αἰχμητὴς Ἰταλὸς παρὰ χεύμασι Ῥήνου
  κλινθεὶς ἐκ πολλῶν ἡμιθανὴς βελέων
αἰετὸν ἁρπασθέντα φίλου στρατοῦ ὡς ἴδ' ὑπ' ἐχθροῖς,
  αὖτις ἀρηϊφάτων ἄνθορεν ἐκ νεκύων·
κτείνας δ' ὃς σφ' ἐκόμιζεν, ἑοῖς ἀνεσώσατο ταγοῖς,
  μοῦνος ἀήττητον δεξάμενος θάνατον

Mommsenus olim ad cladem Varianam (p. C. 10) rettulit atque hanc intellegere, si Rubensohnium[6]) audimus, „nos ut nihil cogit, ita nihil prohibet magnopere"; sed obloquendum viri summi sententiae esset, etiamsi nondum ipse demonstrasset non post annum a. C. 75 natum

---

1) L. l. p. 9.

2) Quem ad finem Rubensohnius (p. 9. n. 1) conferri iubeat Alphei ep. IX, 90 et Antipatri Thessalonicensis ep. X, 25, non intellegitur. Ut inlustrentur „vestigia Crinagorae migrationis Italicae relicta"? Nihil omnino ad rem facit utrumque carmen: Alpheus e Syria Romam, Antipater Thessalonica (vel Roma) in Asiam proficiscitur. Itaque his testimoniis huc allatis nihil aliud confirmatur nisi tunc praeter Crinagoram etiam alios poetas itinera fecisse.

3) In Addendis p. 123.

4) L. l. p. 58.

5) Inter ἑταίρους, quos tunc Romae necessitudine sibi iunxerat Crinagoras, fuisse putandus est Parthenius.

6) P. 22. Qui tamen paullo dissentit a Mommseno ita quidem, ut totam rem fictam vel exaggeratam putet. Sed finxisse sibi haec Crinagoram propter ipsius epigrammatum genus et indolem non credendum est, exaggerata autem res non est ficta.

esse Crinagoram[1]), senem igitur sic plus octoginta annorum hoc scripsisse. Primum enim credere non possum gravissimum illum populo Romano diem atrum carmine commemoratum esse a poeta vivente in ipso paene domo Caesaris[2]), cui quanto fuerit haec clades non dolori modo, verum etiam timori, satis notum est. Deinde verba παρὰ χεύμασι Ῥήνου κλινθεὶς nimia profecto sunt etiam poetae in geographicis licentia, quam ne imputemus Crinagorae vetat tradita scriptura. Legitur enim in codice παρὰ χεύμασι νείλου atque „corrector" adnotavit γράφεται ῥήνου. Malam coniecturam receperunt Planudes et editores, retinendum potius est π. χ. νείλου et intellegenda certa quaedam in Aegyptum expeditio, minus sane nota quam clades Variana: unde explicatur lectio ῥήνου, cum hoc quidem tali ratione ex νείλου, tamen nullo modo hoc ex illo mutari potuerit. Iam victae ac maxima ex parte trucidatae sunt Romanorum tres cohortes ab Aethiopibus in Aegypto apud Syenen oppidum[3]), ad ipsum Nilum fluvium situm[4]). Sed mox Petronius, qui praefectus tunc erat Aegypto, eos devicit et mille captivos misit Octaviano νεωστὶ ἐκ Καντάβρων ἥκοντι i. e. a. C. 24, anno igitur post quam Crinagoras ex Hispania cum aliis legatis Romam redierat ibique degit Caesaris adventum expectans. Allato tunc una cum captivis nuntio de praeclara illius militis virtute poeta Lesbius gratiam ambiens principis et Romanorum carmine celebravit occisum. Minime vero tunc Augustus offendi potuit verbis μοῦνος ἀήττητον δεξάμενος θάνατον tribus tantum cohortibus ab hostium multitudine oppressis, toto bello iam profligato. Conditum igitur est epigramma anno proximo post illud, quo celebravit poeta a. C. 25 Marcellum ex Hispania redeuntem[5]).

Ep. 31 R. = A. P. IX, 283:

Οὔρεα Πυρηναῖα καὶ αἱ βαθυάγκεες Ἄλπεις,
  αἳ Ῥήνου προχοὰς ἐγγὺς ἀποβλέπετε,
μάρτυρες ἀκτίνων, Γερμανικὸς ἃς ἀνέτειλεν
  ἀστράπτων Κέλτοις πουλὺν ἐνυάλιον.
Οἳ δ᾽ ἄρα δουπήθησαν ἀολλέες· εἶπε δ᾽ Ἐνυὼ
  Ἄρεϊ· τοιαύταις χερσὶν ὀφειλόμεθα

minime cum Rubensohnio[6]) referendum est ad Germanici iunioris expeditionem p. C. 15/16, in quam omnino ne nomina quidem geo-

1) Non enim ante trigesimum aetatis annum legatione illa functus esse putandus est.

2) In Octaviae domo (Rubensohn l. l. p. 13 et 15).

3) Narrantur res a Strabone XVII. p. 820 sqq.; cf. Mommsen R. G. D. A. p. 108.

4) Strabo l. l. p. 817.

5) Iam etiam verba παρὰ χεύμασι Νείλου propriam nostra interpretatione accipiunt vim. Sunt enim χεύματα Nili cataractae apud ipsam Syenen celeberrimae et frequentatissimae, cf. Friedlaender l. l. II[5]. p. 151.

6) P. 18.

graphica quadrant, sed ad Drusum Germanicum, qui annis a. C. 14—12 in Alpibus cum Celtis Germanisque feliciter pugnavit, celebratum etiam ab Horatio[1]). Eandem hanc sententiam olim amplexus est Rubensohnius adductus causis, quae nostrae quoque et fuere et sunt, auctae nunc habita temporum Crinagorae ratione, l. l. enumeratis: argumentum illud, quo per Mommsenum suppeditato nunc aliter sentit vir doctus monens „carmen nostrum nullo modo posse defunctum spectare, sed vivum celebrare, Germanici vero cognomen post demum e vita decessum accepisse Drusum", quamvis speciose sit excogitatum, minime tamen firmum mihi quidem videtur. Certe carmen in vivum conditum est Drusum, quo mortuo, ut Suetonius[2]) et Dio[3]) narrant, senatus inter alios honores sollemniter Germanici cognomen ipsi posterisque eius decrevit. Quid vero poetae Graeculo in aula versanti cum decretis senatus? Redeuntem tres post annos victorem e Germania, ovandi ius et triumphalia percipientem ornamenta[4]), delicias ipsius Augusti, Germanicum salutare adulantem poetam quis mirabitur? nec solus haud dubie erat Crinagoras, sed alii multi non expectantes sollemnia senatus de hac re consulta cognomen hoc paratum habebant dilectissimo principis privigno. Porro nomina geographica sane mira essent, si spectaret carmen expeditionem Germanici a. p. C. 15/16 factam, qui tunc triumphavit *„de Cheruscis Chattisque et Angrivariis quaeque aliae nationes usque ad Albim fluvium colunt"*[5]), miranda vero soli Rubensohnio[6]) in Drusi bellis: Alpium enim populis subactis a. C. 14 postea καὶ τοὺς Κελτοὺς τηρήσας τὸν Ῥῆνον διαβαίνοντας ἀνέκοψε[7]). Rediit Romam Drusus hieme anni a. C. 12, tunc igitur epigramma in ovantem factum sit necesse est: vere enim ineunte iterum in Germaniam profectus est non iam inde vivus rediturus.

Ep. 49 = Anth. Plan. 61 recte in anno a. C. 3 ponit Rubensohnius. Tiberium, qui pacata post Drusi mortem Germania triumphans urbem ingressus est, hoc carmine salutans poeta in memoriam simul revocat haud illepide primas eius bellicas laudes, subactam a. C. 20 Armeniam: oppositis sic oriente et occidente aptissimum carminis acumen nactus est.

In ep. 33 = IX, 291.

Οὐδ' ἢν Ὠκεανὸς πᾶσαν πλήμυραν ἐγείρῃ,
οὐδ' ἢν Γερμανίη Ῥῆνον ἅπαντα πίῃ,

1) C. IV, 4.
2) Claud. 1.
3) LV, 2.
4) Suet. l. l.
5) Tac. Annal. II, 41.
6) P. 19.
7) Dio LIV, 32. Pyrenaei montis mentio cur facta sit, recte dixit Rubensohnius in nota ad v.

Ῥώμης δ' οὐδ' ὅσσον βλάψει σθένος, ἄχρι κε μίμνῃ
δεξιὰ σημαίνειν Καίσαρι θαρσαλέῃ.
Οὕτως καὶ ἱεραὶ Ζηνὸς δρύες ἔμπεδα ῥίζαις
ἑστᾶσιν, φύλλων δ' αὖα χέουσ' ἄνεμοι

explicando frustra laborasse viros doctos quaerentes e cladibus et calamitatibus Romanorum cui tandem originem hoc debeat carmen iam ex ipsorum dissensione videtur apparere. Cogitaverat enim quondam Mommsenus de pugna Variana, contra naufragium classis Germanici attulit Rubensohnius, factum p. C. 16. Ego quidem nihil aliud me videre fateor hoc carmine expressum nisi quam ubique invenis apud poetas aevi Augustei[1]) summam invictae Romae fiduciam, quoad secundis regnetur Divi Augusti auspiciis. Ansam epigrammatis condendi dedisse potest quaelibet occasio festiva, quam quaerere supersedemus. Fuerunt autem in omnium ore Drusi Tiberiique expeditionibus Germania Oceanusque, ut haec potissimum arriperet poeta; unde eisdem fere temporibus atque epigrammata modo tractata hoc quoque esse adsignandum colligas[2]).

Praeter eos, quos nominat Philippus, alii inveniuntur in Anthologia poetae Graeci, quos his temporibus Romae esse commoratos carmina vel docent vel veri reddunt simile. **Boethum** τὸν ἐλεγειογράφον, cuius extat epigramma IX, 248 in Pyladem, qui Bacchum

---

1) Perlustres cum alios tum Horatium, apud quem simillimum quoddam occurrit: (C. IV, 5, 25):

Quis Parthum paveat, quis gelidum Scythen,
quis Germania quos horrida parturit
foetus incolumi Caesare?

2) Sic incipit poeta: „Non toto suscitatus Oceanus fluctu, non omnis ferox Germaniae imminens pubes (recte explicatur v. 2 a viris doctis). Romam possunt terrere, dum etc.": iam quae secuntur verba ἄχρι κε μίμνῃ δεξιὰ σημαίνειν Καίσαρι θαρσαλέῃ sic interpretatur Rubensohnius: „quoad Caesari perstabit (Roma) confidere, scil. illum dextera imperare", ut sensus sit: „Id autem nihil nociturum esse Romanis, quamdiu fideles esse perseverarent Caesari (Tiberio)". Cui explicationi nonnulla obvertenda sunt. Primum Caesar est Augustus, non Tiberius, deinde ausum esse poetam Graeculum domus Caesarianae sic adhortari quodammodo Romanos, ut „fideles esse perseverarent" Augusto i. e. ne quando novas res molirentur, equidem credere non possum; tum θαρσαλέος τινί neque est „fidelis alicui" neque omnino θαρσαλέος cum dativo coniunctum alibi usquam invenitur (ut participium θαρσήσας), sed semper absolute ita usurpatur, ut sit „spe fiduciaque plenus" vel „audax, fortis". Accedit denique, quod hoc loco Crinagoras haud dubie usus est verbis Arati de Iove canentis (v. 7): ὁ δ' ἤπιος ἀνθρώποισι Δεξιὰ σημαίνει, neque, opinor, sine consilio. Nam legentibus haec (maxime lectitatus tunc erat a Romanis Aratus) ilico subintellegenda erat detecta verbis eoque magis lepida Augusti cum Iove comparatio: ut hic, ita ille ἀνθρώποισι δεξιὰ σημαίνει. Iam hinc solummodo apparet non ferendum esse dativum Καίσαρι, siquidem δεξιὰ σημαίνειν Καίσαρι θ. obscurius et quod facile possit falso intellegi, dictum esse videtur. Liberatur ab omnibus his mendis poeta, si accusativum restituis Καίσαρα.

saltaverat, esse Tarsensem, de quo „malo poeta et civi“ ampliorem exhibet Strabo[1]) narratiunculam, recte coniecisse mihi videtur Schneider[2]). Strabo singulari rerum notitia, unde paullo ante accidisse haec facile suspiceris, narrat Athenodorum, Sandonis filium et ipsum Tarsensem et Augusti praeceptorem[3]), senem ipsius rogatu domum dimissum ibi invenisse rempublicam pessime administratam cum ab aliis tum a Boetho quem auxerit quondam Antonii gratia carmine epico de victoria Philippensi parta. Iam revoces in memoriam Tarsi a. C. 41 commorantem Antonium expectasse Cleopatram, Ἀφροδίτην κωμάζουσαν παρὰ τὸν Διόνυσον[4]): tunc Boethum Antonio carmen istud tradidisse mecum existimabis atque epigramma referes ad Pyladem, artis conditorem, non ad posteriorem quemquam huius nominis pantomimum. Romae vero utrum hunc viderit poeta an alibi, non liquet: tamen illud credere malim.

Thalli Milesii ep. VI, 235:

Ἑσπερίοις μέγα χάρμα καὶ ἠῴοις περάτεσσι,
 Καῖσαρ, ἀνικάτων ἔκγονε Ῥωμυλιδῶν,
αἰθερίην γένεσιν σέο μέλπομεν, ἀμφὶ δὲ βωμοῖς
 γηθοσύνους λοιβὰς σπένδομεν ἀθανάτοις.
Ἀλλὰ σὺ παππῴοις ἐπὶ βήμασιν ἴχνος ἐρείδων
 εὐχομένοις ἡμῖν πουλὺ μένοις ἔπ' ἔτος[5])

utrum ad Tiberium an ad Germanicum referant, ambigunt viri docti[6]). Aptior tamen haud dubie relatio est, si ad Germanicum eiusque avum Augustum quam si ad Tiberium et Divum Iulium pertinet, praesertim cum Antoniae matris Germanici libertus fuisse videatur Thallus, quod probabiliter Iacobsius coniecit ex Antonii Thalli nomine epigrammati VII, 188 superscripto. Conditum est carmen certe non ante annum p. C. 4, quo adoptavit Augustus Tiberium iussum ante Germanicum adoptare.

Ep. VII, 373 mortem deplorat poeta duorum iuvenum popularium, qui in Italiam profecti coronas sperantes mortem invenerint:

Δισσὰ φάη, Μίλητε, τεῆς βλαστήματα γαίης,
 Ἰταλὶς ὠκυμόρους ἀμφεκάλυψε κόνις·
πένθεα δὲ στεφάνων ἠλλάξαο· λείψανα δ' αἰαῖ
 ἔδρακες ἐν βαιῇ κάλπιδι κευθόμενα.
Φεῦ, πάτρα τριτάλαινα, πόθεν πάλιν ἢ πότε τοίους
 ἀστέρας αὐχήσεις Ἑλλάδι λαμπομένους;

---

1) XIV. p. 674.
2) V. Iacobs A. G. XIII. p. 868.
3) Notus est philosophus Stoicus, de quo v. Zeller III³, 1. p. 586 et Mueller F. H. G. III. p. 485.
4) Plut. Ant. 26, cf. Drumann I. p. 391.
5) Ultima verba sunt Callimachea, fr. 121 ἵνα μοι πουλὺ μένουσιν ἔτος.
6) Iacobs A. G. XIII. p. 956 et IX. p. 28.

Versus ultimi docent insignes aliqua arte eos fuisse[1]), et coronarum mentio facta v. 3 indicare videtur venisse adulescentulos ad agonem aliquem. Extabant autem usque ad Neronem in Italia ludi, quibus coronabantur victores, sola Augustalia Neapoli celebrata quinto quoque anno, condita in Augusti honorem a. p. C. 2[2]). Tempora igitur, quibus fere scripta esse videntur haec duo epigrammata, inter se conveniunt.

Pompeium Iuniorem, cuius leguntur duo epigrammata VII, 219 (in Laida mortuam) et IX, 28 (in Mycenarum ruinas), esse nepotem Theophanis notissimi Magni Pompei familiaris suspicati sunt Viscontius[3]) et Meinekeus[4]): quam coniecturam aliunde probari et firmari posse spero. Atque testimonia primum de Theophanis Pompei progenie inspicienda sunt conlata iam ex parte quidem a Muellero[5]) et a Meinekeo: Strabo XIII. p. 618: υἱόν[6]) τ' ἀπέλιπε (Θεοφάνης) Μάρκον Πομπήιον, ὅν τῆς Ἀσίας ἐπίτροπον κατέστησέ ποτε Καῖσαρ ὁ Σεβαστὸς καὶ ** [7]) νῦν ἐν τοῖς πρώτοις ἐξετάζεται τῶν Τιβερίου φίλων. Hunc Theophanis filium esse ipsum Pompeium Macrum, cui ordinandas bibliothecas delegaverat Augustus[8]), recte coniecerunt viri docti collato Tacito[9]), qui inter res anno p. C. 33 gestas haec narrat: *„etiam in Pompeiam Macrinam exilium statuitur . . . pater quoque inlustris eques Romanus ac frater praetorius, cum damnatio instaret, se ipsi interfecere; datum erat crimini, quod Theophanem Mytilenaeum proavum eorum Cn. Magnus inter intimos habuisset, quodque defuncto Theophani caelestes honores Graeca adulatio tribuerat“.*

Paullo ante factum esse putabimus, quod narrat Suetonius[10]): *„nec multo post (Tiberius) in senatu Pompeio cuidam, equiti Romano, quiddam perneganti, dum vincula minatur affirmavit fore, „ut ex Pompeio Pompeianus fieret“, acerba cavillatione simul hominis nomen incessens veterumque partium fortunam“.* Est hic pater Macrinae, atque nunc demum recte intellegitur acerbitas cavillationis, qua Graecae originis commonefactus est eques Romanus. Quando praetor fuerit huius filius, frater Macrinae, comperimus e Tacito[11]): *„mox“* (anno p. C. 15) *„Tiberius consultante Pompeio Macro praetore, an iudicia maiestatis redderentur, exercendas leges esse respondit“.* Hunc

---

1) Quod iam observasse videtur scholiasta adnotans in lemmate: οἶμαι δ' ὅτι σοφούς.

2) Friedlaender l. l. III⁵. p. 378.

3) Iac. A. G. XIII. p. 941.

4) Vind. Strabon. p. 213.

5) F. H. G. III. p. 314.

6) υἱωνόν scribi vult Viscontius probante Meinekeo, non recte, ut ilico apparebit.

7) Lacunam indicavi propter rationem grammaticam.

8) Suet. Caes. 56.

9) Annal. VI, 18.

10) Ti. 57.

11) L. l. I, 72.

igitur filium existimabimus fuisse familiarem Tiberii: quapropter Strabonis verbis non simplex ὃς, ut grammaticae satisfiat, inserendum est, sed lacuna sic explenda: καὶ ⟨ὁ τούτου υἱὸς⟩ νῦν ἐν τοῖς πρώτοις κ. τ. λ. Ad hunc Pompeium Macrum Iuniorem haud dubie referendus est titulus Mytilenaeus nuper a Cichorio editus[1]), sed nondum accuratius explicatus:

Μ. Π]ομπήιον Μακρεῖ-
νο]ν Νέον Θεοφάνην
κουαττόρουιρον τα-
μίαν καὶ ἀντιστρατη-
γὸν Πόντου καὶ Βειθυ-
νίας δήμαρχον στρα-
τ]ηγὸν δήμου Ῥωμαί-
ω]ν ἐπιμελητὴν ὁδοῦ
Λατί]νης πρεσβε[υτήν

Primi p. C. saeculi esse hanc inscriptionem aliis de causis iam statuit vir doctissimus; ponenda accuratius est inter annum p. C. 15, quo praetor erat Pompeius (vocatur enim v. 4 ἀντιστρατηγός) et annum p. C. 33, quo periit familia. Forma „Macrinus" pro „Macer" adhibita est ut Crispinus (cos. p. C. 44) legitur in lapide apud Gruterum p. 1041. 10 pro Crispo, quod exhibet Dio LX, 23[2]).

Iam in lemmate epigrammatis A. P. IX, 28 legimus: εἰς Μυκήνας τὴν Ἀγαμέμνονος πόλιν ἔπαινος Πομπηίου, οἱ δὲ Μάρκου νεωτέρου. Inaudita esset Μάρκου νεωτέρου nominis significatio, etiamsi non hoc solo loco extaret: apparet temere hoc esse mutatum a scholiasta ex Πομπηίου Μάκρου νεωτέρου[3]). Hoc esse verum etiam aliunde probari potest. Epigramma enim Pompei hoc est (IX, 28):

Εἰ καὶ ἐρημαίη κέχυμαι κόνις ἔνθα Μυκήνη,
  εἰ καὶ ἀμαυροτέρη παντὸς ἰδεῖν σκοπέλου,
Ἴλου τις καθορῶν κλεινὴν πόλιν, ἧς ἐπάτησα
  τείχεα καὶ Πριάμου πάντ᾽ ἐκένωσα δόμον,
γνώσεται ἔνθεν, ὅσον πάρος ἔσθενον· εἰ δέ με γῆρας
  ὕβρισεν, ἀρκοῦμαι μάρτυρι Μαιονίδῃ.

In eandem rem conditum legitur epigramma **Alphei Mytilenaei** IX, 101[4]):

---

1) Sitzungsber. d. Berlin. Akad. 1889. p. 374. Promisit ibi vir doctissimus se fusius alio loco de Theophanis progenie esse disputaturum.

2) Plura invenis exempla in Fastis Romanis (Clinton I) sub annis p. C. 37 (Niger-Nigrinus) 49 (Longus-Longinus) 54 (Marcellus-Marcellinus).

3) Μάκρου esse scribendum pro Μάρκου iam vidit Meinekeus l. l.

4) Antipatro Thessalonicensi tribuisse videtur Planudes propter antecedentis Alphei in Delum insulam epigrammatis versum quartum:

Ἡρώων ὀλίγαι μὲν ἐν ὄμμασιν, αἱ δ' ἔτι λοιπαὶ
  πατρίδες οὐ πολλῷ γ' αἰπύτεραι πεδίων·
οἵην καὶ cὲ, τάλαινα, παρερχόμενός γε Μυκήνην
  ἔγνωκα cκοπέλου[1]) παντὸc ἐρημοτέρην,
αἰπολικὸν μήνυμα· γέρων δέ τιc· „ἡ πολύχρυcοc"
  εἶπεν „Κυκλώπων τῇδ' ἐπέκειτο πόλιc".

Poetam hunc vixisse temporibus, quibus Roma domina iam erat orbis terrarum, docet aliud eius ep. IX, 526[2]):

Κλεῖε, θεόc, μεγάλοιο πύλαc ἀκμῆταc Ὀλύμπου·
  φρούρει, Ζεῦ, ζαθέαν αἰθέροc ἀκρόπολιν.
Ἤδη γὰρ καὶ πόντοc ὑπέζευκται δορὶ Ῥώμηc,
  καὶ χθών· οὐρανίη δ' οἶμοc ἔτ' ἔcτ' ἄβατοc[3]).

Iam idem condidit carmen in Macrinum IX, 110:

Οὐ cτέργω βαθυληΐουc ἀρούραc,
οὐκ ὄλβον πολύχρυcον, οἷα Γύγηc.
Αὐτάρκουc ἔραμαι βίου, Μακρῖνε·
τὸ Μηθὲν γὰρ ἄγαν ἄγαν με τέρπει.

Alpheus est Mytilenaeus, Mytilenaeorum heros Theophanes; cuius apud filium vel nepotem, nobilissimos populares Romae versatum esse poetam hoc carmen satis, opinor, ostendit. Una cum Pompeio itinera fecisse videtur Alpheus, quibus Mycenas quoque adierunt, cui sententiae subvenit epigramma IX, 90, quod felicem implorans deos navigationem profecturis e Syria εἰc Ἄρεοc πόλιν i. e. Romam aptissime ad ipsius poetae cum rege suo iter referemus.

Dubitari non iam posse puto Pompeium Iuniorem epigrammatum poetam[4]) esse Pompeium Macrum Iuniorem, Theo-

---

οὐδὲ λόγῳ ἕψομαι Ἀντιπάτρου, quae verba spectare epigramma Antipatri IX, 408 exploratum est (Iac. t. VIII. p. 350). Hic Antipater esse non potest Sidonius (ut taceam de diverso totius carminis colore) duabus de causis admodum certis. Primum enim quae querentem facit poeta de sorte sua ipsam Delum, solummodo quadrant in tempora demum post annum a. C. 69, inde a quo devastata et deserta iacebat sacra insula (cf. Schoeffer de Deli ins. rebus p. 218—220). Tunc vero sibi permittit poeta hiatum trochaicum (v. 1 πλάζεcθαι ἀήταιc), alienum a Sidonii Antipatri arte metrica (cf. Kaibel Philodemi epigr. p. 6). Esse igitur potest Antipater Thessalonicensis: unde non ante hunc vixisse Alpheum appareret: quod bene suffragatur nostrae de Alpheo disputationi. Nam Pompei Macri Iunioris amicus praetoris p. C. 15 revera paullo fuit posterior Antipatro.

1) Sic correxit e Pompei carmine Iacobsius traditum ἔγνων αἰπολίου παντὸc κτλ., quod insequente αἰπολικόν ferri nequit.

2) Cf. etiam supra p. 428. n. 4 i. f.

3) Sententiam carminis vidit Iacobsius depromptam esse ex Alcaei Messenii in Philippum ep. IX, 518.

4) Ἰουνίωροc epigramma apud Kaibelium 810 olim quod subscriptum fuit Veneris statuae, esse Pompei Iunioris coniecit Viscontius, sed iure dubitaverunt Meinekeus l. l. et Kaibelius. Nos nihil inde discimus.

phanis Mytilenaei nepotem: hunc autem putabant viri docti[1]) esse Macrum poetam, Ovidii amicum, auctorem carminum Antehomericorum et Posthomericorum, recte quidem monentes discernendum esse inter Aemilium Macrum, quem commemorat Ovidius in enarranda vita sua[2]), Ornithogoniae auctorem, et hunc, quem adloquitur saepius et in aliis carminibus et in epistulis ex Ponto. Quae tamen sententia ita corrigenda est, ut non nepos fuerit, sed filius Theophanis ille poeta. Mittitur enim ad Macrum epistula e Ponto II, 10, unde comperimus una cum Macro Asiam et Siciliam visisse Ovidium (vv. 21 sq.):

Te duce magnificas Asiae perspeximus urbes,
Trinacris est oculis te duce nota meis.

Μάκρον[3]) Πομπήιον (Theophanis filium) τῆς Ἀσίας ἐπίτροπον ἐπέστησέ ποτε Καῖσαρ ὁ Σεβαστός dicit Strabo. Haec si recte conferimus (et egregie quidem quadrat temporis notio ποτέ in Ovidii aetatem iuvenilem, qua eum itinera fecisse scimus), multo aptius congruunt cum filio Theophanis tempora, quoniam, qui obiit p. C. 33 filium habens praetura functum p. C. 15, grandis natu est putandus, natus igitur inter annos fere 45 et 40 aequalis fuit poetae Romani.

Vidimus et patrem et filium Pompeium Macrum Musis otium dedisse, quare diiudicari non posse videtur, utri tribuamus versus tragicos, Pompei Macri nomine servatos apud Stobaeum[4]):

Δεῦτ᾽ ὦ τέκν᾽, ὦ στερχθένθ᾽ ὅσον πλεῖστον θέμις,
ὦ πολλὰ τέρψαντ᾽ οὐδὲ λυπήσαντά τι
μητέρα, τί προσλάζυσθε κἀξαρτᾶσθέ μου;
βούλεσθ᾽ ἀθύρειν; παίζετ᾽, ὦ νέαι φρένες·
ὡς ἔστιν ὑμῖν τοῦτ᾽ ἔαρ παντὸς βίου,
ἥβη δὲ λῦπαι φροντίδες θ᾽ ἡβῶσ᾽ ὁμοῦ.

Videmus, quam recte Welcker[5]) refutaverit Gaisfordium, qui, ut Graecum supponat auctorem, Μάρκον voluit restituere, porroque suo iure miratum esse virum sagacissimum hos hominis Romani versus. E Medea denique tragoedia eos esse desumptos idem vidit: quis nunc iam non meminit Ovidii Medeae, cuius curam ac laborem communicasse cum amico Macro poetam scimus[6]). Quanta societas studiorum et familiaritas intercesserit Macrum inter et Ovidium, patet cum ex epistula illa[7]) tum inde, quod ex tetrastichon Macri

1) Teuffel R. L.-G. 252, 3.
2) Trist. IV, 10, 44.
3) Sic legere malim cum Meinekeo l. l. pro Μάρκον, quamquam Marci praenomen habuisse potest Pompeius. Sed aptius hic est cognomen, quoniam praenomen non bene intellegitur.
4) Flor. LXXVIII, 7 = Nauck F. T. G.² p. 830.
5) Griech. Tragödie p. 1330.
6) Amor. II, 18.
7) P. II, 10.

carmine[1]) librum in malos poetas composuit Ovidius[2]). Macrum vero seniorem et ipsum iam Medeam scripsisse ideo non putarim, quia apud Ovidium ubique audimus tantum de eius carminibus epicis[3]), tragoediam autem, quam ipse erat conditurus eiusdem argumenti, vix silentio pressisset Ovidius. Post huius igitur Medeam ortam esse censeo Macri Medeam; an fortasse ipse hic aut filius clarissimam amici fabulam in Graecum patrium transtulit sermonem?

Praeter hos Anthologiae poetas Romae etiam versabantur, quos aliunde novimus, nonnulli:

Philistio *„mimographus natione Magnes Asianus Romae clarus habetur“:* haec adnotat Hieronymus ad annum p. C. 7. Veterum de hoc testimonia collegit Iahnius[4]), unde tamen de vita eius nihil lucramur, nisi quod e Suidae glossa confusa sane et corrupta hoc saltem apparere videtur duos huius nominis inlustres fuisse viros:

Φιλιστίων Προυσαεὺς ἢ ὥς Φίλων (Byblius) Σαρδιανός, κωμικός· [τελευτᾷ δὲ ἐπὶ Σωκράτους] ὃς ἔγραψε κωμῳδίας βιολογικάς· τελευτᾷ δὲ ὑπὸ γέλωτος ἀπείρου· δράματα δὲ αὐτοῦ Μιμοψηφισταί ... οὗτός ἐστιν ὁ γράψας τὸν Φιλόγελων, ἤγουν τὸ βιβλίον τὸ φερόμενον εἰς τὸν Προυσαέα (Κουρέα mss. et edd.). Νικαεὺς δὲ μᾶλλον παρὰ πᾶσιν ᾄδεται, ὥς μαρτυρεῖ τὸ ἐπίγραμμα·

Ὁ τὸν πολυστένακτον ἀνθρώπων βίον
γέλωτι κεράσας Νικαεὺς Φιλιστίων[5]).

Enodare omnia non possum: hoc tamen ultima verba indicare mihi videntur duos fuisse mimographos Prusensem (Sardianum Philonis) et Nicaenum (Magnetem ut videtur Hieronymi)[6]) multo clariorem[7]).

De **Cebete** poeta a Vergilio dilecto leguntur in vita Vergilii[8]) haec: *„libidinis in pueros pronior (V.), quorum maxime dilexit Cebetem et Alexandrum, quem secunda bucolicorum ecloga Alexin appellat, donatum sibi ab Asinio Pollione, utrumque non ineruditum, Cebetem vero et poetam“.* E Servii scholiis[9]) comperimus Cebetem a Maecenate Vergilio esse donatum. Aliunde homo non est notus[10]).

---

1) Quorum carminum exemplum fortasse praebet Macri familiaris Alphei singulare illud epigramma (IX, 110) supra exscriptum.

2) Quintil. VI, 3, 96.

3) Amor. l. l. 1. Pont. l. l. 13. IV, 16, 6.

4) Prolegg. in Pers. p. XC.

5) Legitur etiam A. P. VII, 155 (ἀδέσποτον), ubi adduntur duo versiculi, e quibus apparet ipsum etiam partes egisse Philistionem, ut fecit Publilius. Hoc epigramma vel simile obversatum esse videtur Cassiodoro (Var. IV, 51), cum scriberet: *„quatenus* (Philistio) *mundum curis edacitus aestuantem laetissimis sententiis temperaret“* (*repararet,* adnotavit editor Brosseus).

6) Tales de virorum inlustrium patria discrepantiae non rarae.

7) Cf. supra p. 393. n. 14.

8) Suet. rell. p. 56. 57 R.

9) In eclog. II, 15.

10) De Bathyllo *„poeta quodam mediocri“* quae narrantur a Pe-

De **Phaedro**, cuius adhuc leguntur fabulae, egerunt Schwabeus[1]) et Lucianus Mueller, qui editioni poetae vitam praemisit pressam tantum nec satis accuratam. Utriusque disputatio vel supplenda vel mutanda est[2]).

Quaerentibus de huius poetae vita alium fontem adire non licet nisi ipsius fabulas: harum igitur in versibus recte interpretandis summa versatur rerum. Atque iam de patria valde ambigunt viri docti, diversa ratione interpretantes versus prologi l. III, 15 sqq. (ad Eutychum):

Mutandum tibi propositumst et vitae genus,
Intrare si Musarum limen cogitas.
Ego, quem Pierio mater enixast iugo,
In quo tonanti sancta Mnemosyne Iovi
Fecunda novies artium peperit chorum,
Quamvis in ipsa paene natus sim schola
Curamque habendi penitus corde eraserim
Et laude invitante[3]) *in hanc vitam incubuerim,*
Fastidiose tamen in coetum recipior.

Quos neque ita debemus intellegere, ut in ipso monte Pierio natum esse Phaedrum putemus[4]) neque ita, ut omnino hinc quicquam concludi posse negemus[5]). Medium, ut solet, tenet veritas. Certe versibus 17—19 poeta exornavit poetice patriam „Pieriam" i. e. Macedoniam, non Thraciam: Πιερία γὰρ καὶ Ὄλυμπος . . . τὸ παλαιὸν ἦν Θρᾴκια χωρία καὶ ὄρη, νῦν δὲ ἔχουσι Μακεδόνες disertis verbis legitur apud Strabonem[6]). Iam hinc quidem satis constare mihi videtur Macedonem, non Thracem appellandum esse Phaedrum, sed invenitur apud ipsum etiam aliud huius rei testimonium in versibus epilogi l. III, 51.

51 *Rem me professum dicet forsan quis gravem*[7]);
Si Phryx Aesopus potuit, Anacharsis Scytha
Aeternam famam condere ingenio suo:
Ego, litteratae qui sum propior Graeciae,

---

diano (Suet. rell. p. 66 R.), in nullo codice extare, sed esse medii aevi docuit me Marxius; cf. supra p. 393. n. 14.

1) In prolegomenis editionis I. p. 5 sqq.

2) Hartmani de Phaedri fabulis commentationem (Lugd. Bat. 1890) quod ipsam quidem inspicere non licuit, doleo; novi tamen illius recensionem, quam scripsit L. Mueller Berl. philol. Wochenschrift 1890. p. 1300 sqq.

3) *invita in hanc vitam:* codd., *invicta:* vulg. Correxit Hartel Wiener Stud. VII. p. 151.

4) Cf. Schwabeum in Mus. Rhen. XXXIX. p. 476.

5) Woelfflin M. Rh. XXXIX. p. 157. Hartman apud Muellerum l. l. Hartel l. l.

6) X. p. 471.

7) Scil. „*vitam et mores hominum ostendere*" (v. 50).

Cur somno inerti deseram patriae decus[1]),
Threissa cum gens numeret auctores suos
Linoque Apollo sis parens, Musa Orpheo,
Qui saxa cantu movit et domuit feras
Hebrique tenuit impetus dulci mora?
Ergo hinc abesto livor, ne frustra gemas,
Quoniam sollemnis mihi debetur gloria.

Unde diserte Thracem se vocare ipsum Phaedrum statuerunt nonnulli[2]), aperte Romanam patriam Graeciae opponere poetam dixit Hartelius[3]), qui tamen hoc quidem recte sensit verbis „*Threissa gens*“ (v. 56) non idem nec voluisse nec potuisse poetam significare atque antecedentibus „*patriae decus*“. Immo „*cum*“ illud esse debet adversativum „während“ et hoc enuntiatum non aliter accipiendum est atque antecedentia: *Si Phryx etc.:* Sed sententiarum concinnitas interrumpitur, cum quae post Phrygem et Scytham nominari debuit Threissa gens (quibus omnibus „*litteratae propior Graeciae*“ natu est poeta Macedo) postea demum addita sit. Quapropter iam in eo eram ut transponendos esse versus 54 et 55 post versum 59 censerem; at potest consulto poeta usus esse hac ἀπὸ κοινοῦ figura, qua in medio positum enuntiatum et ad antecedentia et ad insequentia referretur. Utut est, certe ex hoc quoque loco apparet Macedonem fuisse Phaedrum.

Quando natus sit poeta, diserto non constat testimonio. Romam eum venisse Augusto imperante inde sequitur, quod eius libertus vocatur in codicibus. Scriptum esse fabularum librum alterum Tiberii demum aetate ostendit fab. II, 5 recteque coniecisse mihi videtur Schwabeus[4]) Eutychum, ad quem mittit Phaedrus librum tertium praesidium implorans eius et auxilium, esse libertinum illum gratiosum apud Caligulam et omnipotentem[5]). Firmant hanc Schwabei sententiam versus prologi 33 sqq.:

Nunc fabularum cur sit inventum genus,
Brevi docebo: Servitus obnoxia
Quia quae volebat, non audebat dicere,
Adfectus proprios in fabellas transtulit
Calumniamque fictis elusit iocis.
Ego porro illius (Aesopi) *semitam feci viam*

1) Intellegi nequeunt omnia posito hic cum Muellero interrogationis signo.

2) L. Mueller in Berl. phil. W. l. l., etiam Schwabe in comment. p. 105.

3) L. l. p. 151. n. 2.

4) Ed. t. II. p. 405. Cf. etiam Buecheler Mus. Rhen. XXXVII. p. 333. Silentio hanc coniecturam praeteriit Mueller de „Eutycho quodam liberto C. Caligulae vel Claudii“ locutus.

5) Quocum optime concordant Eutychi „*aures occupatae*“ (v. 17), scil. per quas ad principem pervenerunt hominum preces.

Et cogitavi plura quam reliquerat[1]).
In calamitatem deligens quaedam meam
Quodsi accusator alius Seiano foret,
Si testis alius, iudex alius denique,
Dignum faterer esse me tantis malis
Nec his dolorem delenirem remediis[2]);

quorum ultimos 40—44 potuisse scribi vivo Seiano nego. Argumentum, quod obvertas quodque eludere conatur Schwabeus[3]), verbum „*foret*“ non convenire mortuo contendens, nullum est, modo non historicum, sed ex ipsius sententia poetam loqui teneas: „Wenn es andere Menschen wären, die mich angeklagt und verurteilt haben“. Igitur non amplius dubitamus sub Caligula haec scripsisse poetam. Quot fere annos tunc natus fuerit, cognoscere licet ex epilogi l. III versibus 10 sqq:

Nam vita morti propior est cotidie,
Et hoc minus perveniet ad me muneris,
Quo plus consumet temporis dilatio.
Si cito rem perages, usus fiet longior:
Fruar diutius, si celerius coepero.
Languentis aevi dum sunt aliquae reliquiae,
Auxilio locus est: olim senio debilem
Frustra adiuvare bonitas nitetur tua,
Cum iam desierit esse beneficium utile
Et mors vicina flagitabit debitum.

Provectior igitur iam aetate[4]) fuit Phaedrus, nondum tamen senex, quare quinquaginta fere ei tribuantur anni. Scripsit haec inter annos p. C. 37 et 40[5]), unde natum eum esse anno fere a. C. 15

---

1) Crucem ipsi sibi et legentibus imponunt editores, punctum ponentes demum post „*meam*“ v. 40. Tunc enim nequeunt explicari verba „*in calamitatem deligens quaedam meam*“. Nam quas extricarunt viri docti interpretationes „zu meinem Unglück manche Stoffe wählend“ (Mueller l. l. p. 1302) vel „nonnulla applicans ad mala, quae passus sum“ (Hartman ibid.), explicationes esse mihi non videntur. Ceterum si quis in postposito „*quodsi*“ haereat, frequentes esse apud Phaedrum reputet eiusmodi traiectiones (v. Muelleri indic. IV s. v. traiect.). Certe versus 40 non ad poetam, sed ad „*accusatorem*“ pertinet.

2) Has ob calumnias contumeliasque Phaedro „*improbi*“ epitheton dedisse mihi videtur Martialis III, 20, 5, neque ibi cum Friedlaendero alium Phaedrum carpi existimandum est. Ceterum qualis fuerit calamitas, qua per Seianum, ut videtur, oppressus postea Eutychum, ut liberet implorat Phaedrus, nos nescimus. Conicias poetam in carcere retentum vel in exilium missum esse: cui opinioni suffragantur versus epilogi III, 10 sqq.

3) Ed. I. p. 13. II. p. 17.

4) „*Languens aevum*“ (v. 15) de vita Phaedri „insolentiis improbis pressa“ nimis artificiose interpretatur Schwabe I. p. 17.

5) Epilogum eodem tempore scriptum esse atque prologum patet

concludentes haud ita multum a vero aberrabimus. Non igitur tenellus puer Romam venisse putandus est, quoniam Ennium in schola legit[1]), Romae autem, ubi iam post Galli patroni mortem a. C. 26 Q. Caecilius Epirota, cum scholam aperuisset, primus Vergilium aliosque novos poetas praelegere coepit[2]), eis, quibus Phaedrus scholam frequentabat, temporibus Ennius certe non tractabatur a discipulis. Itaque ut Valerius Probus *legerat in provincia quosdam veteres libellos apud grammatistam durante adhuc ibi antiquorum memoria necdum omnino abolita sicut Romae*[3]), ita Phaedrus Ennium legit in schola Macedonica.

Quo fere anno Romam venerit, non liquet neque quando obierit, adhuc scimus. Senem se ipsum dicere poetam fab. V, 10 recte observarunt viri docti, itaque esse potest Philetus, quem adloquitur, Claudii libertus aliunde notus[4]). Decessisse autem e vita Phaedrum ante Neronis principatum colligo e fabula V, 7 de Principe tibicine[5]) quae scripta esse non potest imperante iam Nerone, ipso principe tibicine: antea igitur obiit poeta. Iam vides, quam bene inter se congruant, quae computavimus tempora: natus est Phaedrus fere a. C. 15, annis p. C. 37—40 de languente iam loquitur aetate, in libro quinto sub Claudio condito senem se adpellat, senex septuaginta fere annorum ultimis regni Claudiani temporibus defunctus Neronem principem non vidit.

Epimetrum
De Aristodemi Nysaensis „Homero Romano".

Duos fuisse grammaticos Aristodemos supra vidimus populares affines. Minor, qui simul rhetor erat, Pompei filiorum magister, laudatur (ῥήτωρ τε ἅμα καὶ γραμματικός) schol. A Il. I, 453[6]), ubi

---

1) Epil. III, 33.
2) Suet. gr. 16.
3) Suet. gr. 24. Attulit Probum iam Mueller non satis accurate aequalem vocans Phaedri. Floruit grammaticus teste Hieronymo p. C. 57 (sic cod. Amand., 56 ceteri), fuit igitur posterior.
4) Schwabe ad locum.
5) De quo cf. Buecheler l. l. p. 332.
6) Ad Phoenicis verba narrantis de patre: (I, 450 sqq.)

ἀτιμάζεσκε δ' ἄκοιτιν,
μητέρ' ἐμήν· ἡ δ' αἰὲν ἐμὲ λισσέσκετο γούνων
παλλακίδι προμιγῆναι, ἵν' ἐχθήρειε γέροντα·
τῇ πιθόμην καὶ ἔρεξα·

Scholia A haec habent: Ἀριστόδημος ὁ Νυσαιεὺς ῥήτωρ τε ἅμα καὶ γραμματικὸς φεύγων τὸ ἔγκλημα ἐπενόησε γράφειν „τῇ οὐ πιθόμην οὐδ' ἔρξα" καὶ οὐ μόνον γε ηὐδοκίμησεν, ἀλλὰ καὶ ἐτιμήθη ὡς εὐσεβῆ τηρήσας τὸν ἥρωα· πρὸ δὲ αὐτοῦ Σωσιφάνης τὴν τοιαύτην εὗρε γραφήν· καὶ Εὐριπίδης δὲ

traditur eius διὰ τὸ ἀπρεπές mutatio critica, qua inclaruit et honoratus est ut Phoenicis herois famae et dignitatis defensor. Hunc igitur Aristodemum minorem eum esse putabimus, quem inventorem Homeri Romani fuisse legitur in vita Homeri excussa e codice M. A. Mureti[1]): . . . Ἀριστόδημος δ' ὁ Νυσαεὺς Ῥωμαῖον αὐτὸν (Ὅμηρον) ἀποδείκνυσιν ἔκ τινων ἐθῶν παρὰ Ῥωμαίοις μόνον γινομένων, τοῦτο μὲν ἐκ τῆς τῶν πεσσῶν παιδιᾶς, τοῦτο δὲ ἐκ τοῦ ἐπανίστασθαι τῶν θάκων τοὺς ἥσσονας τῶν βελτιόνων ἑκόντας, ἃ καὶ νῦν ἔτι φυλάσσεται παρὰ Ῥωμαίοις ἔθη. Cuius sententiae sane memorabilis adhuc extare puto reliquias. Quas ideo non spernendas (ut verbis utar editoris Piccolominii) „quod specimen praebent adminiculorum, quibus homines isti rem incredibilem fulcire conabantur", conlectas proferam:

I. Ad Λ, 750 sqq.

Καὶ νύ κεν Ἀκτορίωνε Μολίονε παῖδ' ἀλάπαξα,
εἰ μή σφωε πατὴρ εὐρὺ κρείων ἐνοσίχθων
ἐκ πολέμου ἐσάωσε καλύψας ἠέρι πολλῇ

varias patronymicorum horum duorum explicationes adnotat Eustathius (p. 882, 14):

Τὸ δὲ Ἀκτορίωνε Μολίονε παῖδε διαφωνεῖται παρὰ τοῖς παλαιοῖς· οἱ μὲν γὰρ ἄμφω τὰς λέξεις πατρωνυμεῖσθαί φασιν, ἵνα λέγῃ Ἀκτορίωνας μὲν ἀναμφιλέκτως τοὺς Ἀκτορίδας, ὅ ἐστιν υἱοὺς Ἄκτορος, Μολίονας δὲ ἢ πατρωνυμικῶς καὶ αὐτὸ οἷα Μόλου ὄντας πατρὸς τοῦ καὶ Ἄκτορος· διὸ καθὰ Ῥωμαϊκῷ ἔθει Ἄκτωρ Μόλος ἀσυνδέτως ὁ πατὴρ κατὰ διωνυμίαν, οὕτω καὶ οἱ αὐτοῦ παῖδες Ἀκτορίωνε Μολίονε ἢ μητρονυμικῶς κ. τ. λ.

Explicavit igitur aliquis ἔθει Ῥωμαϊκῷ, scil. duo haec nomina posita esse a poeta κατὰ διωνυμίαν apud Romanos usitatam: „Ἄκτωρ Μόλος" velut e. g. „Cornelius Scipio".

II. Eustath. ad. Γ, 228 (p. 409, 3):

Τὸν δ' Ἑλένη τανύπεπλος ἀμείβετο, δῖα γυναικῶν] ... καὶ ὅτι τανύπεπλον τὴν Ἑλένην λέγει, οὐ μόνον ὡς τανύουσαν Ῥωμαϊκῶς καὶ ἐπισύρουσαν κάτω τὸν πέπλον, ὅς ἐστιν ἐνταῦθα

ἀναμάρτητον εἰσάγει τὸν ἥρωα ἐν τῷ Φοίνικι· ταῦτα ἱστορεῖ Ἁρποκρατίων ὁ Δίου διδάσκαλος ἐν ὑπομνήμασι τῆς Ι. (Ἰλιάδος Heyneus). Auctorem Harpocrationem esse puto L. Aurelii Veri, unius Divum fratrum, praeceptorem Harpocrationem (de quo v. Maussaei dissertationem praemissam in Harpocrationis lexici editione Dindorfiana p. XVII). Huius autem auctor est Apion, quem haec narrasse (in glossis Homericis?) docet Eustathius ad h. l. (p. 763, 9). Adnotatio ipsa sapit ζήτημα Porphyrianum (cf. editionem Schraderi p. 139 et Eustath. l. l.).

1) Edita nuperrime a Piccolominio in Herma XXV. (1890). p. 451 sqq. Antea adeunda erat vita codicis Matritensis (ϛ apud Westermannium biogr. gr. p. 31, 8) ex illa pleniore decurtata, ubi leguntur tantum verba: Ἀριστόδ. δ' ὁ Νυσ. Ῥωμαῖον αὐτὸν ἀποδείκνυσιν ἔκ τινων ἠθῶν Ῥωμαϊκῶν, desunt reliqua et exempla.

γυναικεῖον ἱμάτιον, ἀλλὰ καὶ ὡς εὔσαρκον καὶ οὐκ ἰσχνήν, ἀλλὰ τείνουσαν . . . καὶ ἐμπιπλῶσαν τὸν πέπλον τῷ εὖ διεστηκέναι αὐτῇ τὴν φυὴν τοῦ σώματος. Ὅτι δὲ κατὰ τὴν ἀνωτέρω ἑρμηνείαν τῆς τανυπέπλου πεπύκνωται καὶ Ῥωμαϊκοῖς ἔθεσιν ἡ Ὁμηρικὴ ποίησις, ἐν Ὀδυσσείᾳ δεδήλωται.

Novit igitur Eustathius vel auctor eius hanc interpretandi rationem, qua referta sint moribus Romanis Homeri carmina, atque obloqui hic quodammodo videtur. Iam commemorasse se dicit rem in Odysseae commentariis: adnotat ad δ, 305 (p. 1497, 31):

τανύπεπλος] τανύπεπλον δέ φασι λέγει τὴν εὐτραφῆ καὶ πλήθουσαν· τετανυσμένου γὰρ οὕτω τοῦ σώματος ἀνάγκη συνεσχηματίσθαι καὶ τὸν πέπλον· ἄλλως μέντοι τὸ τανύπεπλον βαρβαρικὸν εἶναί φησι· καὶ ἴσως, οὐ κωλύει ἐκ τοιούτων ἤκουσαν τὴν Ἑλένην τοῖς ἐκείνων εἰσέτι παραμένειν ἔθεσιν.

Acriter hic disiungenda sunt enuntiata tria: primum usque ad ἄλλως, alterum usque ad φησι — in utroque loquuntur homines ignoti, in tertio inde a verbis καὶ ἴσως habes ipsum Eustathium, res sane male confundentem, cum βαρβαρικόν eum intellegere ut Τρωϊκόν indicent sequentia ἐκ τοιούτων ἤκουσαν. Qui vero hic explicavit verbum τανύπεπλος, ἔθος afferens βαρβαρικόν, certe non Τρωϊκόν intellexit, cum in Iliade iam idem ἐξ ἔθους Ῥωμαϊκοῦ explicatum sit neque illic, ubi Troiae est Helena, Romanorum, hic, ubi Spartae est, Troianorum more indutam habere vestem dici potuerit. Ergo βαρβαρικόν hic est Ῥωμαϊκόν atque eiusdem est utraque adnotatio auctoris.

Idem sic interpretatus est verbum ἑλκεσίπεπλος Z, 442 (Eustath.): τὸ δὲ „ἑλκεσίπεπλον" τῶν γυναικῶν βαρβαρικόν ἐστιν ὡς καὶ ἀλλαχοῦ φανήσεται·

H, 297: ὅτι ἑλκεσίπεπλοι Τρῳάδες καὶ ἐνταῦθα ἀντὶ τοῦ μακρόπεπλοι, ὃ δὴ καὶ Ῥωμαίοις ἐπεχωρίασεν, ὡς ἐν τοῖς εἰς τὴν Ὀδύσσειαν σεσημείωται.

X, 105: τὸ ἑλκεσίπεπλον δὲ γυναικῶν ἐστι καὶ ἐνταῦθα βαρβάρων ἐπίθετον ὧν καὶ χιτῶνες συρτοί . . . περὶ ὧν ἐγράφη ἀλλαχοῦ [1]).

III. Non satis perspicuus Eustathius ad Il. Ω, 471 sqq.

γέρων δ' ἰθὺς κίε οἴκου
τῇ ῥ' Ἀχιλεὺς ἵζεσκε διίφιλος· ἐν δέ μιν αὐτὸν
εὗρ', ἕταροι δ' ἀπάνευθε καθείατο.

adnotans (p. 1359, 40): ἔθος δὴ τοῦτο Ῥωμαίοις ἔτι καὶ νῦν [2]) ἀρέσκον· δύο δὲ μόνοι περὶ αὐτὸν ἐπονοῦντο παρόντες ... Verba

1) De re ipsa v. Marquardt Privatleben d. Römer II. p. 574, 1 et Beckeri Gallum III³. p. 186.

2) Verba ἔτι καὶ νῦν ἀρέσκον addidisse potest homo posterior, qui rettulit hanc interpretationem, fortasse auctor scholiorum BT similium (cf. adnotata schol. T ad O, 683 = Eustath. ad O, 680 et infra p. 439.

enim ἔθος δὴ τοῦτο — ἀρέσκον secundum grammaticam rationem referri tantummodo possunt eo, quod solus quidem est Achilles, remoti autem ἑταῖροι. Tunc vero, quo de usu Romano cogitaverit grammaticus, omnino fingi nequit. Sed ipse fortasse spectavit insequentia δύο δὲ μόνοι περὶ αὐτὸν ἐπονοῦντο παρόντες (Automedon et Alcimus uno cum Achille tabernaculo utentes) ita, ut latere possit cohortis praetoriae iuvenumque Romanorum nobilium circa ducem in castris versantium imago.

IV. Eustath. ad Δ, 3. 4 (p. 436, 22):

τοὶ δὲ χρυσέοις δεπάεσσιν
δειδέχατ' ἀλλήλους, Τρώων πόλιν εἰσορόωντες

... τὸ δὲ δειδέχατο ἤγουν ἐδεξιοῦντο, ῥῆμα σύνηθες Ἰωνικόν·[1]) τὴν παρὰ τοῖς ὕστερον πρόποσιν δηλοῖ· προπίνουσι γὰρ ἀλλήλοις κατὰ τὸ καὶ παρὰ Ῥωμαίοις ἔθος οἱ ἀλλήλους δεπάεσσι δεξιούμενοι[2]). Secundum Romanorum comissandi leges deos potare audimus. Vocabulum καὶ, quod legitur ante παρὰ Ῥωμαίοις ἔθος certe non scripsit, qui excogitavit hanc sententiam, sed addidit, qui haud ita credulus expressit. Vides non modo inepta, sed etiam aperte falsa contendisse grammaticum, quoniam Romanorum comissandi rationem e Graeca originem duxisse notum est.

Talem in modum Homerum tractatum esse ab Aristodemo Nysaensi scimus, exempla quoque nunc duo novimus horum, quae ex oceano Eustathiano (quo nescio per quos scholiorum rivulos sint delapsa) expiscati sumus simillima: de ludo talario et assurgendi honore atque officio, cuius utriusque ut moris Romani apud Eustathium locis huc spectantibus[3]) mentio non facta est, nisi ad Aristodemum referenda sunt verba, quae leguntur inter explicationes prolatas ad μνηστήρων πεττείαν (Od. α, 107) ab Eustathio p. 1397, 5: τὸ ὄγκωμα Ῥωμαϊστί[4]). Cui opinioni suffragatur, quod habet sua

---

n. 3). Etiam in loco vitae Homeri supra exscripto verba ἃ καὶ νῦν ἔτι φυλάσσεται παρὰ Ῥωμαίοις scriptoris vitae esse videntur.

1) Hic interpungendum esse patet: verbo δηλοῖ subiectum est ὁ ποιητής.

2) Afferendus locus Odysseae ν, 56 sq.:

ἀνὰ δ' ἵστατο δῖος Ὀδυσσεύς,
Ἀρήτῃ δ' ἐν χερσὶ τίθει δέπας ἀμφικύπελλον

ad quem Eustathius: καὶ σημείωσαι, ὅτι πρόποσίς ἐστί τις.

3) Λ, 645. α, 119. π, 42 alibi.

4) Quid sibi velit uncus in alea, nescio. Latere suspicor Latinum „orca" i. e. fritillus (Pers. III, 50), ut corruptum sit γ ex ρ atque ὄρκα vel nescio quae alia vocabuli forma scripta fuerit. Similia leguntur de voce ἅρμα ἑνικῶς usurpata Eustath. B, 384: .. ὅτι δὲ ἡ τοῦ ἅρματος λέξις καὶ ἐπὶ ὅπλου λέγεται καὶ ὅτι Ῥωμαϊκὸν τοῦτο .. i. e. ἅρμα = arma. Talia sane sapere libros περὶ τῆς Ῥωμαϊκῆς διαλέκτου, ὅτι ἔστιν ἐκ τῆς Ἑλληνικῆς (cf. supra p. 375. n. 1) iure monuit Maassius, sed talia quoque inde suum in usum adhibuisse potest Aristodemus.

episcopus ex Apionis libro περὶ μνηστήρων πεττείας[1]), quem grammaticum iam novimus auctorem traditae Aristodemi coniecturae I, 453[2]). Atque mentionem fecisse Apionem in libro illo sententiae Aristodemi consentaneum est.

En habes reliquias libri de Homero Romano — vel quomodo eum tibi fingas inscriptum. Incertiora sunt, quae tamen idem sapiunt consilium, adnotata ad O, 679 de desultoribus schol. Townl. (ad v. 683): καὶ νῦν δὲ ἐν Ῥώμῃ ποιοῦσί τινες = Eustath. p. 1037, 59. (ad v. 680): καὶ ὅτι καὶ νῦν ἐν Ῥώμῃ τοῦτο γίνεται[3]), atque Eustath. ad Υ, 232[4]) de camillis Romanis, qui ministrantes sacerdotibus sacra facientibus atque etiam epulantibus fratribus Arvalibus[5]) conferuntur cum Ganymede et Menelai filio (o, 141), qui ab Homero inducuntur οἰνοχοοῦντες.

Addenda.

Iulium Polyaenum Sardianum Romae fuisse quamquam expressis verbis nemo testatur, concludendum tamen est e Suidae glossa s. v. Πολύαινος Σαρδιανός, σοφιστής, γεγονὼς ἐπὶ τοῦ πρώτου Καίσαρος Γαίου. Λόγους δικανικοὺς καὶ δικῶν ἤτοι συνηγοριῶν ὑποτυπώσεις· Θριάμβου Παρθικοῦ βιβλία τρία· καὶ ἄλλα. Libri enim de Parthico triumpho, qui nullus alius esse potest atque P. Ventidii a. C. 38 actus[6]), ibi eum degisse indicant. Ventidius erat Caesaris ille familiaris, de quo multa scripta esse tradit Suetonius[7]). Fortasse Polyaenum Sardibus cognoverat secumque Romam duxerat, cuius de Parthico triumpho opus illud nescio an carmen fuerit Ventidio dedicatum, velut Archiae de bello Mithridatico poema Lucullo et Boethi de victoria Philippensi An-

---

1) L. l.: τὸ πεσσικὸν βόλον τὸ τοῦ Ἀπίωνος. Cf. p. 1426, 12 (ad α, 403). Accepit autem haec per Athenaeum I, 16 f sq.

2) V. supra p. 435. n. 6.

3) Cf. de his Marquardt Röm. Staatsverwalt. III. p. 524. n. 5, qui Eustathii verbis καὶ νῦν interrogationis signum adposuit. Certe haec non sunt ipsius Eustathii sed recepta sicut ab hoc ex scholiis BT similibus, ita fortasse iam a scholiasta e veterioribus. Cf. supra p. 437. n. 2.

4) P. 1205. 15, sumpta ex Athenaeo X. p. 425 a: καὶ παρὰ Ῥωμαίοις δὲ οἱ εὐγενέστατοι τῶν παίδων τὴν λειτουργίαν ταύτην ἐκτελοῦσιν ἐν τοῖς δημοτελέσι τῶν θυσιῶν, πάντα τοὺς Αἰολεῖς μιμούμενοι, ὡς καὶ κατὰ τόνους τῆς φωνῆς.

5) Marquardt Röm. Staatsverwalt. III. p. 229. 452. Acta fratr. Arval. ed. Henzen p. 12—13 = C. I. L. VI, 1. p. 460 sqq.

6) V. Drumann l. l. I. p. 446, 9.

7) Apud Gell. XV, 4.

tonio. Servata enim sunt etiam epigrammata huius Polyaeni quattuor[1]): e quibus postea eum in patriam rediisse videmus.

De Theone Artemidori filio accuratiora invenies apud Susemihlium Gesch. der gr. Litt. in d. Alexandrinerz. II. c. 30.

De Theopompo Cnidio conferenda est, quam sero me cognovisse doleo, G. Hirschfeldii disputatio, Journ. of Hellenistic Studies VII. 1886. p. 286—290; in inscriptionibus ibi allatis legitur plenum nomen Γάιος Ἰούλιος Θεύπομπος.

---

1) Anth. Pal. IX, 1. 7—9, cf. Iacobs A. G. t. XIII. p. 941.

Index[1]).

1) Quos asterisco notavi, non videntur Romae degisse vel Graeci fuisse. Philosophis adposui locum, ubi tractati sunt a Zellero (Z.) Hist. phil. Graec.[3] Ibi si quis deest, locum habet adscriptum, ubi invenitur.

2) Deest apud Zellerum locus Aeliani V. H. VII, 21: Οὐκ ἀπηξίου Καῖσαρ ἐπὶ τὰς 'Αρίστωνος θύρας φοιτᾶν, Πομπήιος δὲ ἐπὶ τὰς Κρατίππου· οὐ γὰρ ἐπεὶ μέγα ἐδύναντο, ὑπερεφρόνουν . . . .

1) Fuit Romae Patro, ut apparet e Ciceronis epistula ad fam. XIII, 1, 2.